



ERYCI PVTEANI  
EPISTOLARVM  
BELLARIA.


CENTVRIA III.  
& Nova.

LOVANII,  
EX OFFICINA FLAVIANA.

MDCCXII.



*Cum gratia et Privilegio.*



EPISTOLARVM

BELLARIA

CHRISTIAE

2 NOV

1666

IN OFFICINA

...

...

...

AMPLISSIMO VIRO  
BALTHASARO  
ROBIANO  
BELGICARVM  
PROVINCIA RV M

SVPREMO THESA VRARIO

E. Puteanus

EPISTOLARVM BELLARIA

*Dedicat.*



VB LICVM affectus mei si-  
gnum ultrà debere non po-  
tui. Ecce usurpo nomen  
tuum, Amplissime VIR; &  
ut BELLARIA hæc commen-  
dem, tibi inscribo. EPIS TO-  
LÆ sunt, collectæ nunc de-  
mum è plurimis, & in unum  
coactæ Librum: quem si perlustres, toties cõ-  
pellari videaris, quoties tabellario usus sum.  
Ad tam multos quæ scripsi, ad te nunc unum  
mitto: non Epistolâ, sed toto Libro loquor.  
Quoscumq; leges, ire ad te omnes gestiebant;

(:) 2

& de-

& deferre, quę leges. Isti mei sunt: hęc mea, et si privato Amicitię velut jure manumissa. Sed tui esse debebāt, ut publici essent: tua, ut æterna. Prorsus à tuo nomine ordiendum erat, ut tot nomina durarent: tuo auspicio producendi sermones, quos familiariter profudi. Ut scias quàm potens sim, in parte tibi Amicos meos sisto; imò quàm Patrocinio tuo potens, te fundamentum rerum & Amicorum meorum isto nunc cultu appello. Et sanè multum muneri, aliquid etiam ingenio meo per hos annos tribuisti: tam benignè PVTEANVM complexus es, quàm amicè LIPSIVM colueras. Id sive Humanitatis tuę errore, sive judicij constantiâ factum; gaudeo mehercle, tam felice me Fortunâ usum, ut Viro placerem, qui errare potuit, ut humanus esset; & simul constare sibi, ne affectu abduceretur. Nequid mihi arrogem, humanũ te fuisse dixerim, cùm Amorem orsus es: sed ne animi tui lumen timido sermone obnubilem, serium exactumque fuisse, cùm dignũ me affectu tuo judicares. Prorsus junxisti judicij severitati humanitatis confortium, ut quantum amares quem tuum esse voluisti, tanti omnes facerent. Et certè tam insigne exemplum incitare alios potuit, alios corrigere: ut bona & hiulca simul pectora ubique sunt, pugnante Genio partim ad amorem, partim ad odium & malevolentiam pron-

na. Ne-

na. Neque sterilem etiam munificentiam tuam  
opem expertus sum. quia industria & vigilia  
meam (hanc tibi gratiam debeo) PRINCIPIS pla-  
cuerunt, rebus studiisque accessit, & accedet,  
quicquid honeste petere potui, & quicquid  
jussus expectare. Omnino pro natura tua be-  
nigne, pro ingenio prudenter agis: causam in-  
quam Litterarum in ipso arario; Minerve sa-  
cra in Saturni aede. Curam tibi in publicis curis,  
quicquid in otio meditatur: & cum divitias  
tractas Belgice, Sapientiam adhaeres; cum subsi-  
dia dispensas, & liberalitatem PRINCIPIS vel-  
ut sanguinem vitamque in omnia Reipublicae  
derivas membra, Scholarum labores non fi-  
nis exarescere. Ingenia aestimas, qui tuum  
coluisti; Artes promoves, quas olim didicisti;  
Virtutes foves, quas vitam moribusque expri-  
mis. Quantum temporum felicitati studes,  
PALAESTRA mea BONAE MENTIS loquitur.  
Suadere PRINCIPIS audes optima, quia facis;  
& exsequi, quia suades. Nullus in habitu fa-  
stus, in cultu luxus, in munere, etsi Amplissi-  
mo, ambitio. E Lare tuo & limine avaritia,  
corruptela, fucus, & omne vitiorum commer-  
cium exulat. Vocatus a PRINCIPIS, & electus,  
ad Aulam, velut publicam curam accessisti: quam  
integritate promeruisti Dignitatem non que-  
sitam, eadem non rejectam administras. Splen-  
dorem omnem in vivendi agendiq; modestiam

(:) 3      ponis.

ponis. Sic quod alius ad pompam & magnitudinem gerat munus, tu ad Virtutem: quod votorum inflare ambitionem alibi solet, nullos in tuo potest pectore cupiditatis fluctus excitare. Sedatus compositusque es, ut semper fuisti; magnus, non magnificus; gravis, non superbus; facilis, non remissus; accuratus, non morosus. ut omnia dicam, munere isto, & majori dignus. Etsi verò tam generosa conscientie securitate agis omnia, ut laudari contemnas; semel tamen effari debui, quicquid omnes tribuunt; insinuare breviter, quicquid consensu publico mereris. Affectum meum aliquo animare encomio volui, ne parum intelligere virtutes viderer tuas, quas sile-rem. Apud Posterios quoque, & omne humanum genus cavendum erat, nequid libri hujus vilitas Fame tue detraheret, si nihil dicerem; aut censerent velut è grege virum, quem familiari munusculo adirem. Hic quoque cumulus laudibus tuis accedet, quòd tantus, & sic notus, tam pusillum librum non spreveris; quòd, cum alia debuerim, EPISTOLAS æstimaveris, & eas quidem, ut candidè fatear, sine curâ & affectatione scriptas. Sed EPISTOLÆ tamen sunt: & quia Latine, pretium aliquod à pulcherrimâ linguarum trahant; quia repentinæ, ingenii & caloris causâ commendentur, Præterea eo te compello & adorno  
scriptio-

scriptionis genere , quo præstas ipse & excellis : ut si hoc meum videas , tuum æstimes ; videre etiam tuum velint , qui æstimare ( præfiscinè dixerim ) meum cœperunt . Alibi alios ; inter Italos hodie IO. BAPT. SACCVM , Virum optimum Clarissimumq̃ , & Senatui Mediolanensi à-Secretis ; item M. ANTONIVM BONCIARIVM , omnis eruditionis lumen admirari soleo : quorum alter dignas luce & posteritate scribit Epistolas , alter dignas famâ & æternitate vulgat . pari inter Belgas si te laude censeam , VIR Auplissime , equidem nullam reliquis Virtutibus tuis injuriam faciam . Reges Principesq̃ stili hac felicitate magni sunt . Ex tempore Epistolares pangis delicias , in quibus multi laborent : & cùm perfectissimè scribas , tantum tibi otii non est , ut ullam meditationi moram indulgeas . Relucet ingenii accurata facilitas , sine labore felicitas , & quod in segete videmus fieri , non sine florum amœnitate , docta rerum verborumque illa tibi Ceres surgit . Quid igitur ? Tuam ego invado provinciam : EPISTOLAS mitto , quas potes scribere ; BELLARIA fero , quæ potes dare . Sed eò liberius & mitto & fero , quia potes . hac quidem ratione quid mittam feramque , intelliges . Atque tuum omninò patrocinium hæc CENTVRIA poscebat : tuam Aquilam hi milites . Etenim nomina si inspicias , Mediola-

diolanensium pleraque sunt : & tu antiquâ  
nobilique origine hîc stemma tuum numeras:  
verbo dicam, Mediolanensis es; & familiæ de-  
cora in maximâ illâ Vrbe exstant , nonnisi  
cum urbe extinguenda . Quid verbis opus est?  
Redibis ad originem , cùm hæc leges ; & quò  
missæ tot EPIS TOLÆ, sequeris mentis itinere,  
ut Italiam , Italiam illam usurpes. Ego , quæ  
consilii summa est, tot ad te nomina ire volui,  
ut in his omnibus Nobilitatem tuam , Virtu-  
tem, Dignitatem, Prudentiam, Modestiam,  
Doctrinam, Humanitatem, & quicquid de-  
mum admirantur omnes, jugi officio venera-  
rer. Vale, vive Amplissime V I R, & ne un-  
quam desinas, B A L T H A S A R V M tuum, di-  
gnum Patris nomine filium, in vestigia tua lo-  
ca, ut quemadmodum feliciter cœpit , felici  
cursu ad summa contendat : meâ quoque,  
cùm voles , curâ & institutione dirigendus.  
Lovanii, iiii. Non. Ianuarii, ∞. Ioc. XII.



# AD LECTOREM.

**F**ACILE, mi LECTOR, etiam me tacente, quid faciam, intelligas. EPISTOLAS has edo: sic accipe, ut exspectes plures. Totum finire Convivium BELLARIIS non potui, nec complecti Convivio, quantum volui dare. Ecce, ut presentibus faveas cibus, alios promitto: & promam alios, si placebo. Ergo ut pusillum temporis scribenti impendas, & desiderium ad novas delicias irrites, flagito. Nec importuna hac petitio aut intempestiva: intervallum aliquod Ferculorum fuit, & quantum nuper legisti, concoxeris. Hic ne omnia damnes, rogare bonâ te fiducia audeo: invenies quod vel ipsa negligentia se commendet. EPISTOLÆ sunt, & ex tempore debent scribi. EPISTOLÆ, inquam, & sic velut viragines quadam prodeunt, etiam sine ornatu pulchra (licet dicere,) sed Sapiëntia alibi succo vegeta, & matuta. Quam libenter Philosopher, hic certè potes videre: familiarem sermonem præcepta virtutis occupant: nec tam jucundus usquam fui, ut non generosum illud honestum inculcarem. Itaque cura & lima hac quidem scriptio subiecta non fuit: quâ celeritate & impetu exaravi EPISTOLAS, eâ libertate etiam divulgò: & sic ingenii aliquâ felicitate malui uti, quàm laborem ostentare. Iam nec in digerendo anxius, aut sollicitus, rerum temporumq; ordinem omnem confudi. Ut in manus exemplaria veniebant, Typographo tradidi, atque ejus diligentia reliqua molestia commissa fuit. Breviter; quicquid alibi reprehendi possit, pulchrum hîc putavi. Tu si æquus, facile quæ intelliges, excusabis: si iniquus, notam etiam affiges iis, quæ non intelliges. Sed ut nemo tam felix, qui iniquum non offendat: ita nec tam infelix, qui æquo non placeat. Ego, ut scias qualem te velim, plâtere malo, quàm offendere. Salve.

Imò audi: Maluissim alio nunc tibi scriptiois genere placere, & ne otiosus titulus Maximi Regis beneficium absconderet, præstare in Historiâ, quod Amici privato, Insubres publico jure exigebant. Sed quid est? ulterius differre EPISTOLAS non potui, nisi prorsus negligenter: nec quicquam promptius tradere typis, quàm quod sine curâ esset scriptum. Nunc hoc agam igitur, quod & ego volo maxime, & Amici cupiunt, & Munus postulat: HISTORIOGRAPHVM me ostendam. Res à MEDICEO circa lacum Larium gestas duobus libris profecutus sum: eos dabo, & bona fiducia Posteritatis securus, viventium audebo judicicia vincere. Iterum Salve.

(+)

Ad

AD  
EVNDEM LECTOREM  
DE  
HIS BELLARIIS.

**T**ERTIA Socraticæ fubeunt BELLARIA mensæ:  
Qui MVL SVM & MISSVS haufit, & ista legat.  
Ista legat, nec non quo vinula rore Süada  
Imbuit has tabulas, imbuat ille sinum.  
Doctrinæ, Sophiæque scatens tibi pagina condit  
Moribus ut vitam, floribus ingenium.

IACOBVS CORNELIVS LYMINEVS  
A MARCA.

# I N D E X

## BELLARIORVM.

### A.

**A**LEXANDRO Roti-  
dio, *Consilii Italici*  
Regenti, Ep. xxxix.  
Ambrosio Spinula, *Militiæ*  
*Belgiæ supremo Præfecto.*  
xxii.  
Antonio Ferrerio lxxxviii.  
Antonio Maghino suo xiv.  
Ascanio Persio V. C. xlvii.  
Auberto Miræo xciv.  
*Auditoribus meis* xx.  
Augustino Galaminio S. Offi-  
cii Præfecto, postea Car-  
dinali xxxiv.  
Augustino Gambarellio xxvi.

### B

BALTHASARO ROBIANO,  
*Supremo Belgiæ Thesau-*  
*rario,* lix.

### C

Carolo Malineo, *à-Consiliis*  
*Maritimis.* lvi.  
*Consulibus & Senatui An-*  
*tuerpiensi.* lxiv.  
Cornelio Bredæ suo. lxxiii.  
Cornelio Marcano lvii.

Cornelio Plempio xxxvi.  
lxxix.

Curtio Maghino suo xliii.

### D.

Danieli Heinsio V. C. lxxii.  
xciii.

Dionysio Quartirone Cartu-  
sano iii.

Dominico Rudolfo V. R. L.

Donato à Portâ V. N. ii.

### E.

Everardo Vorstio, *Medicinæ*  
*Professori,* lxxxv.

### F.

Florentio Laurino xxxiii.

Francisco Bartholino xxxviii.

lxxiv.

Francisco Guillimano v.

Francisco Kinschotio, *Finan-*  
*tiarum Graphiario* xcvi.

Francisco Turriano suo vii.  
lvi.

Frederico Borromæo Cardi-  
nali, & *Archiepiscopo Me-*  
*diolan.* xiiii. xxiiii.

xxxvii. lxvii.

(+) 2 Gaspari

## G.

Gaspari & Camillo Gerardiis, IV.

Gaspari Diemeno x x i x. lxxxvi.

Gerardo Ho v a o xxvii.

Gothofredo Iungermão lxxxvi.

Guilielmo Athenio suo xvi.

Guilielmo Huysmanno l i i i.

## H.

Henrico de Grauwe xxxi.

Henrico Farnesio V. C. xxx.

Hermanno Grelio xxvi.

## I.

Iacobo Bayo Theologo, Gerardo Corfelio, Thomæ Fieno Medico, Academiae Lovaniensis luminibus xcvi.

Iacobo Marchantio lii.

Iacobo Robertio suo lxxxiv.

Iano Lernutio V. C. lxi.

Iano Scheppero suo liv.

Innocentio Ecclesio V. R. xxiv.

Ioanni Ambros. Biffio lxxxix

Io. Baptista Sacco V. C. Senatui Mediolanensi à Secretis xxi. lxxv. lxxx.

lxxxiii.

Ioanni Bembeno suo xli.

Ioanni Chokierio lxvi.

Ioanni Dulmenio xxxv.

Ioanni Hansenio xli.

Io. Hollätio suo i. xlviij. xcvi

Ioanni Puteano, Fratri meo, li. xcii.

Ioanni Richardoto, Praefidi, xl. lxxviii.

Ioanni Tubatio meo xix.

Ioanni Wöberio xv.

Ioanni Wouwereno xlv.

Isabelle Andreinae. xi.

Iusto Lipsio V. A. xlvi.

## L.

Leoni De Meyere lxxxii.

Livino De Succa xvii.

Ludovico Septalio V. C. x. lxxi.

## M.

Magnis, Doctis, Amicis, xci.

Matthiae Bonero suo lxxvii.

Marco Velfero Reip. Augustanae ii. Viro Praefecto x. xlv.

Maximiliano Plouvierio, Viro N. & Amico lviii. lxxvi. xc. c.

Maximiliano Vriendtio, S. Gandensi à Secretis lxix.

Melchiori Haiminsfeldio, non Heinsfeldio lxxxvii.

Michaëli Lanzio, Consilii Italici Regenti, xlii.

Michaëli Rustenburgio x x v.

## N.

Nicolaio Soefio V. A. lxx.

Octa-

O.

*Octavio Montio* VIII.

P.

*Petro Cantonio, Iurisconsulto,*  
VI. IV.

*Petro Castellio V. amico, Grae-  
ca linguae professori,* XCVIII

*Petro De Soria, Medico Re-  
gio,* XLIX.

*Petro Francisco Mariano,*  
*Auditori suo* XVIII.

*Petro Scholierio, V. Amico &  
familiari,* XCIX.

*Philippo Masio V. A. Ordini-  
um Graphiario,* LXV.

*Philippo Masinio, Iuriscon-  
sulto,* XXXII.

*Puccitto Cingulano* XXVIII.

R.

*Raphaëli Montorfano I x.*  
LXXVIII.

*Remaclo Robertio V. N. &  
Amico, postea Annonæ Mi-  
litaris summo Praefecto,*  
LXIII.



I V S T V S L I P S I V S  
E R Y C I O P V T E A N O

*suo* S. D.

**E**PISTOLAS tuas, mi PVTEANE, vidimus. Vis iudicium? Euge! placent: & video genus illud argutum, subtile, & uno verbo, Articum, hîc præsertim probare se, imò regnare. Iterum, Euge! &

*I bone, quò tua te virtus vocat, i pede fausto*  
ad famam, ad æternitatem, quæ ingenii hæc monumenta manet. Alii fortasse aliter, sed pauci, & stolidi quidam Hermæ, qui hieme frigidiora ipsi scribunt, & in aliis requirunt. Abeant: nobis alacritas, sed & puritas quædam scriptionis placeat,

*Qualis Apellæis est color in tabulis:*  
cum Venere tamen aliquâ & lepôre, quem melior Genius & ingenium donat. De PROMVLSIDE hoc dixerim: illud etiam, nos expectare rectam illam plenamque Cœnam ab hoc gustu. Facito, & quid pares significato. A me autem tibi gratiæ pro inscriptione, non animo aut stilo tantum, sed re semper representandæ, cum locus aut usus erit. Posce a me, quicquid in me, aut penes me; in partem venis.

MAGNO PRINCIPI

IO. FERN. VELASCIO

IO. BAPT. SACCVS S. D.

**S**æpe dixi, nec revoco, imò litteris his confir-  
mo apud te, PRINCEPS Excellentissime, ERY-  
CIVM PVTEANVM unum esse, qui cum paucis  
hodie rem litterariam ornet atque illustret. Dixi,  
inquam, & repeto, illum iam nunc in omni scienti-  
arum genere supparem esse Lipsio, magistro suo; fu-  
turum brevi parem, si vixerit; superiorem, si diu  
vixerit. Amplius dico, neque manes tanti Viri la-  
cessere me puto, in aliquo scribendi genere, puta E-  
pistolari, PVTEANVM iam LIPSIO prestare: ac-  
curatior est, limatior est, & constantior. In Philo-  
sophicis? tyrocinium posuit, ubi LIPSIVS extrema  
meruit stipendia: in Stoicâ scilicet disciplinâ, in  
quâ sic versatur, ut non tyro iam, sed miles emerit-  
us videatur. Testantur hoc cum aliquot eius scri-  
pta dudum vulgata, tum in recentioribus, Con-  
solatio Cæcitatæ; maximè verò hoc quod ad te  
nuperum mitto, sub COMI vel PHAGESI-  
POSITORVM titulo, in quo luxum, crapulam,  
ebrietatem, & alios mores moros huius ætatis  
fornians sic notat atque exagitat, ut nemo vigi-  
lans gravius, doctius, & acutius id facere possit.  
Argumentum istud PVTEANVS olim è re natâ  
tractaverat in Epistolâ quadam ad Amicum: eâ  
cum

cùm aliqui ex animi fortè sui conscientia offensi es-  
sent; coactus fuit longiori ambage rem seriam in  
ludicram vertere: in qua tamen nihil est non do-  
ctum, non eruditum, non ex intimâ Philosophorum  
disciplinâ, non ex antiquâ temporum memoriâ,  
non ex amœnâ Poëtarum fabulatione, non ex La-  
tini & Græci sermonis divitiis, non denique ex ipso  
Musarum & Gratiarum sinu depromptum &  
compactum. Non audeo petere, ut legas, PRIN-  
CEPS occupatissime: sed obsecro, ut tradas viro  
cuiquam quantum vis docto, qui videat, & censeat,  
tibiq; referat, quanam sit sua de hoc ipso scripto sen-  
tentia. Non recuso eandem aleam subire cum PV-  
TEANO, ut tantumdem mihi de iudicio detrahatur,  
si quid illi de ingenio detractum fuerit. Vale  
PRINCEPS Admirande, & tam feliciter guber-  
na, quàm prudenter ac sapienter facis.

☞ (: ) ☞ ☞ (: ) ☞ ☞ (: ) ☞ ☞ (: ) ☞

Cum Privilegio ad Octennium.

Subsignat.

Buschere.

ERY-



EPISTOLARVM  
BELLARIA.EPISTOLA I. *Pragam.*

IOANNI HOLLANTIO S. D.



Nme verò vivit, & emicat scintilla constantis amoris, quem semel conceptum in hoc pectore, continuo alui, Vestali planè religione. Ita sum, mi HOLLANTI, *πυ. αριος*, & esse cœpi, ut lucem aliquam rationis adspexi. Sic te complector nunc animo, & veterem mihi amicum gratulor, velut scriptio- nis postliminio restitutum. Facile opinabar primas illas meas malâ aliquâ sorte suppressas, quas tamen vindicare publicis typis volui, & vel sic tandem tibi sistere. De morbo tuo ab amicis acceperam, cum Patavii apud Perillustrem PINELLVM essem, & jam ipse è pari omnino discrimine evaseram, reliquias languoris trahens. Nunc igitur valeo,

---*solidaëque suo stant robore vires.*

Studia tamen leniter tracto, & jam otiosus esse pos- sim, si tam facile Musarum obliviscar, quàm subdolè ignavia voluptas titillet. Illustrissimo tamen Cardi- nali BORROMEO frequens adsum, & quia semper de Litteris, agere aliquid videor. Varii quotidie & e- ruditi sermones sunt; nec minùs libenter ipse audit,

A

quàm

quàm eruditè differit. Bibliothecam instructissimam habet optimæ notæ libris manuscriptis, Græcis Latinisque: sed & ipse jam volumina stipat, scripta suâ manu. Nihil non legit, nihil non notavit. Summæ doctrinæ parem facundiam jungit: nihil tersius, nihil gravius, nihil efficacius,

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίαν ῥέει αὐδὴ.

Iam in linguis quantus est! Latinæ, Græcæ, Hebraicæ peritus: & unum queritur, nostram se nescire. Cole hunc Antistitem, me ama. Tuis omnibus salutem nuncio. Vale, & scribe. Mediolani, Postridie Non. Aug. cum tuas pridie accepissem. ∞. Ioc. II.

## EPISTOLA II.

Comm.

DONATO A PORTA, *Viro Nobili.*

**C**VM dolore de ægritudine tuâ audivimus. Sed quid agas? hæc conditio mortalium est, in omni vitâ miseriarum quodam turbine quati. nisi esset, quis mortalem se cogitaret? quis lascivientem animum rationi subjiceret? salutare frenum: sive morbo, sive ejus metu coercemur. Quid sapiens? homo quoque est, natus pati, natus mori. Sed quando corpus non potest, animum suo modo habet, sive temperat. Itaque quid indignemur, si tempestas aliqua morbi ingrûat, atque dejiciat? Naturæ operâ, sed nostrâ sæpe culpâ fit, qui Naturam corrumpimus. Rarus quisque hîc innocens: & tamen si quis est, impiè Naturam accuset. Cælum si inspicimus, purum illud & divinum corpus, nubibus obducitur, tonitru mugit, fulmine horret, & uno verbo, morbos suos habet. At nos ex  
elemen-

elementis compacti, fragiles, caduci, ut primum vitæ auram libavimus, auspicati genus omne morbi sumus. Itaque erige te, & hominem cogita; imò virum: non ut Naturam solum, sed Rationem quoque audias. Homini ista à Naturâ dicta lex est: PATERE. Viro ista, à Ratione: CONSTANTER PATERE. Ego hominis tibi nunc exemplum dare à me ipse possum; utinam Viri! qui in morbo etiam, aut saltem reliquiis ejus sum, & langueo. Alium, non alienum addo MONTORFANVM nostrum, gemino ictu, & repentino concussum. Nam feбри correptus decumbit à triduo; & filioli morte graviter affectus, in luctu & squallore universam familiam habet. Itaque scribo ejus nomine, etsi languidâ manu, & silentium excuso. Fecisset Pater ejus, optimus Senex; sed & hunc dolores in lecto tenent ab articulari morbo. Ceterum negotium tuum bono in statu, aut spe. Velim & te, & MONTORFANVM, imò & me esse. Nunc ab illo te saluto. Convalesce. Mediolani, VII. Eid. Sextil. ∞. Idc. v.

## EPISTOLA III.

DIONYSIO QUARTIRONO *Cartusiano* S. D.

**T**V verò cæli mihi non terræ filius es, mi QUARTIRONE, circumfusus cælesti & divinâ quadam aurâ. Talis enim vita tua est, pura & ætheria; pænè non hominis, sed Dei. Rem dico: nam inter multos & cum multis vivere, velut in colluvie morum, terrenum est: segregare se à multis, & in tranquillâ solitudine se & mentem suam invenire, planè divinum est. Quid homines sumus? terræ & cæli congeries & compages quædam; ipsâque vita corporis

animique n: su sive luctâ libratur. Si pondus corpori addimus, pessum in terram imus, & terreni sumus; si animo, cælum tangimus, & divini beatique sumus. Nunc nonnulli, qui in turbâ & tumultu divinam vitam profitentur, terrenam agunt: quippe quorum conditio corporis potius quàm animi est. Animi autem esse non potest, nisi quæ in altâ & Religiosâ quiete est. Divinum igitur vitæ tuæ institutum, te quoq; divinum reddit; & quantum ingenio atque eruditione possis, pariter ostendit. Ego certè in unicâ Epistolâ, velut brevi imagine, vidi Ingenium Eruditionemque tuam, & amare cœpi. Scripta verò mea cur tantopere expetis? per caliginem flammæ esse majores solent; quæ longinquæ; ita fortassis ego tibi per nebulam ancipitis famæ: & tamen, ut desiderio tuo obsequar, jam sistere mea tibi incipio; & fortassis paullo post meipsum, si, ut opinor, proximis Bacchanaliis Ticinum iturus sum. Declamatiuncula est, quam vides, pro Libertate Litterarum: hac te oblecta, dum alia conquiro ac mitto. Tu vale, & in divino loco, semper mihi caro, divinus semper esto, & filius cæli, Deo, tibi, Litteris que intentus. Mediolani vi. Eid. Ianuar. ∞. Io civ.

## EPISTOLA IV.

*Ticinum.*

GASPARI & CAMILLO GERARDIIS  
fratribus S. D.

**D**ifficile mihi sit, prolixam illam humanitatem vestram scriptionis officio æmulari; nisi tam splendoras dare Litteras præsumam, quàm vos epulas. Planè IN APOLLINE cœnavi. nec aliter potui; cum

cum totis ædibus studiorum Musarumque ille præses vobis ineret: ut mihi videamini, non ad cibum, sed ad doctrinam capiendam accumbere: non in somni tranquillitatem, sed mentis vigiliam capita inclinare. Si hæc verò remissiones vestræ sunt, & Vacunæ sacra; quæ obsecro studia, & lucubrationes? Pergite, pergite: *sic itur ad astra*. Sed in omnibus, Litterarum & Virtutum omnium ornamentum modestiam servate.

\* Ὁ τρισάθλιος,

Ἀπαντες δι' φουσῶντες ἐφ' ἑαυτοῖς μέγα.

Ἀλλ' οὐ γὰρ οὐκ ἴσασιν ἀνδρώων φύσιν.

\* O ter  
miseri,  
qui ma-  
gnificè

de se ipsa  
sentiunt.

ignorant  
enim illis  
hominis  
conditio-  
nem.

Quid enim sumus homines? alius alio doctior, ditior, robustior esse potest, nemo supra miseriam humanam. In Litteris siquid promovi, quid nisi profundam mentis caliginem deprehendi? Si majorum meorum virtute plusculum possideo, quid nisi aviditatem meam Fortuna exacuit, ut ne id quidem sufficiat quod possideo? Si vires & valetudo ad votum suppetat, quid nisi admoneor fragilem Hygeiæ fidem esse? Aura, labor, voluptas pariter (& quàm facilè?) corporis omne robur frangunt. Et tamen nostra hodie ætas, & mores in vitio & fastu positi, ipsas Litteras ad ambitionem traxerunt. Vos autem, quibus Ingenii & Fortunæ dotes Deus concessit, ad Modestiæ tramitem Litteras reducetis, id est, magni evadetis, si memineritis

-----Deorum

*Muneribus sapienter uti.*

Facite obsecro, & paternam curam, quâ Deus vos privavit, innatâ industriâ supplere. In ejus famam dignitatemque succrescite, qui nō tantum vos genuit ut filios, sed ut Senatores haberet. Et Respublica ipsa talem patrem experta est, ut in patris locum filios deposcat.

*Fortes creantur fortibus & bonis:*

A 3

Bonus,

Bonus, doctus, juris & Iustitiæ consultus ille fuit; vos eritis, si naturam sequemini; si in matre prudentissimâ feminâ paternam severitatem amplectemini: illa enim jam patris esse loco vobis debet, quæ æquè ac pater vos amat. Acquè? imò ampliùs: quia totum illum paternum amorem in se recepit, & cum suo junxit. Hinc certè in studiis & virtutibus vos habet, non tam sibi, quàm Republicæ filios adoptans. Ceteræ matres quàm stultæ & stolidæ! ut jus in liberos ceperunt, primùm infantiam delitiis solvunt, deinde adolescentiam otio & indulgentiâ enervant. *Mollis illa educatio* ( ut Quintilianus ait ) *quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. Antè palatum eorum, quàm os instituimus.* Ita fit, & in eandem quoque culpam Patres plerique veniunt, & quid nisi vitiorum omnium labem filiis inspirant?

\*Premi-  
um vir-  
tutis est  
bona in-  
stitutio.

\*Βραβεῖον ἀρετῆς ἐστὶν εὐπαιδεία:

Quam ego vobis nobilissimi fratres gratulor, & felicem ad optima progressum voveo, novus, sed ex animo amicus. Valete cum doctore vestro, cujus doctrinam modestiâque exosculor. Mediolani, XI II. Kal. Octobr. ∞ . Iō c II.

## EPISTOLA V.

FRANCISCO GVILLIMANNO *Amico æterno*

S. Dico:

**E**T felicissimam Musarum quietem gratulor. hanc certè animus ille tuus, tot virtutibus, & tam variâ

variâ doctrinâ cultus merebatur. Nunc frueri hoc otio liber, lætus, serenus; & nominis tui radios, pullâ rerum & curarum nube, sparge; quibus torpor ille & frigus ingeniorum vincatur. Fiet: ita auguror; & aliquando Litteræ se invenient, spretæ quibusdam, quia non cultæ. Sed ita ferè Iuventus instituitur, ut more seculi sapiat, & festinet duntaxat ad lucrum. Non modestiâ aut Eruditione, sed cupidine implemus animum; & ornatum quærimus, qui ineptiis nugisque stipatus in pompam & ambitionem se promat. In foro & curiâ passim sic vivitur, atque etiam, quod dolendum, in Scholis. Scilicet hîc forum atque curia est, & vox publica, nisi ad ambitionem & Avaritiam ducat, explosa. Vincendus hic morbus, sed pedetentim; & vincetur, pauci aliqui conspirent. Ego hîc cœpi, Lovanii pergam, quò vocatus, postquam Iustus Lipsius naturæ concessit. Tuam industriam profectò amo. Da *Brisica*, da *Martyrica*, & de Poësi Pindaricâ quæ promittis: plausum meliores reddent. Ego remissior sum, & vix nunc etiam exhibeo, quæ paravi. Dedi tamen Apologeticum aliquid, & quorundam calumniandi pruriturum repressi. Reliqua Francofurti aut prodierunt aut prodibunt. nec temerè Typographum nunc mutem. Tibi verò gratiam scribo pro hoc affectu in me, & mea scripta. Vale. Mediol. ut tuas accepi.

## EPISTOLA VI.

PETRO CANTONIO, *Iurisconsulto Mediol. S.D.*

**L**ONGVS & mollis nimiùm hic luctus, & jam quasi morbus. Medicum accerfis? objurgator adium: pharmacum poscis? cibum paro. Solâ opinione æger

æger es; & eris, nisi jacentem illum evehas animum,  
 & Viri, Philosophi, Christiani munus puro & sereno  
 oculo intuearis. Nunc per nebulam doloris falsâ spe-  
 cie te malum cruciat: tuberculum sive verrucam,  
 montem clamas, qui te premit. Sensuum isthæc im-  
 postura est. tu si Vir, si Philosophus, si Christianus, li-  
 berâ mente libra & expende onus tuum; nullum aut  
 leve inventurus. Filium luges: sed hominem luges,  
 id est, natum mori. Sed puerulum luges: quid si adul-  
 tum aut virum? minor plantæ, quàm arboris interitus  
 est. In uno palmitè an spes intercidit prolis? Tu &  
 uxor valentuli: maturo nunc amore novam serite &  
 perennem posteritatem. An hoc insolens, Patrem ju-  
 sta fecisse filio? quotidie fit. admitte exempla, inspice  
 monumenta: illa & hæc vetera, illa & hæc nova. Ad-  
 mitte inquam & inspice, ut ad consolationem & con-  
 stantiam utraque promas. Quæ familia, quæ domus  
 omnem omnino orbitatem vitavit? Ducere te quoq;  
 ad Tragicam hanc Scenam Deus voluit: cur reuuen-  
 tem aut invitum? Filium abducere, cur ab invito? At-  
 que etiam acerbiorè fato potuit, ferri, veneni, ruinæ,  
 naufragii. Nunc verò placida mors est: nec istorum  
 quidquam læsit, aut

*Exedit puerile decus, manesque subivit  
 Integer, & nullo temeratus corpora damno,  
 Qualis erat.*

Itaque dolorem comprime, nihil certè profuturum.  
 Dolorem inquam jure culpandum, si protraxeris. In  
 funere filii piæ lacrymæ patris & laudatæ sunt: post  
 funus molles & ineptæ. Abeuntem si quis plorat: ne-  
 mo absentem, cui paullò post jungendus est. Tu, quem  
 luges, sequeris. Et tamen fecit ille, quod mox facturum  
 fuisset,



fuiſſet, niſi feciſſet. Quantillum enim hoc totum eſt quod vivimus? *ſi moleſtias inſpicias, etiam puero longum; ſi velocitatem, etiam ſeni anguſtum.* Annos ſperamus, & voto extendimus miſeri, ut ſenectute oneremur: ſed, ſi rectè calculum ponas, in omni ætate ſenectus eſt, & fato obnoxia omnis ætas. Bullæ, puerili ludo, è conchâ e ductæ, non ad eandem omnes altitudinem evehuntur; quædam ab ipſo labro naſcentes pereunt, quædam in ſublîmi, diverſo omnes ſpatio & modo: ſic homo, quaſi bulla, expulſus ab utero materno, sæpe in ipſo vitæ limine vitam exuit; ſi provehitur, venit tamen aliquando ad metam. In viâ omnes ſumus; felix ille, *cui ante laſſitudinem peractum eſt iter.* imò in curſu ſumus, velut anhelantes ad quietem. Sequimur veſtigia, & linquimus, diverſo quiſque gradu & motu. alium integrum & robuſtum, alium fractum laſſumque meta fatalis excipit; cùm exceperit, pares. Naſcentium ordinem Parca non exſpectat. Qui natus, moriturum ſe exiſtimet, & jam cœpiſſe mori, ut natus. *In hoc fallimur, ait Philoſophus Latinus, quòd mortem proſpiciamus. magna pars ejus jam præterit, quidquid ætatis retrò eſt, mors tenet.* Sed ut iſthuc veniam, filium lugēs; quia bonum. Malus fieri poterat, ſi vixiſſet. corrupti mores ævi & juventutis ſunt.

-----malus bonum malum

*Esſe vult, ut ſit ſui ſimilis: turbant, miſcent mores mali.*

Breviter: illa bonæ indolis puritas, uſu & conſuetudine malorum facillimè inquinatur. Iam verò, ut Religionem ſuggeram, non extinctus ille, quem lugēs; ſed vivus & ſuperſtes. Eſſe non deſiit, ſed cœpit; quia novo vitæ exordio Immortalitatem adeptus. Dies iſte, quem tamquam brevis ævi extremum in filio deſſes,

B

æterni

æterni Natalis est. Ex humili casâ, si in arcem transmigrem, ex umbrâ in lucem, an doleas? Arcem, cælum puta; Deum, lucem. *Huc redeunt, imò hîc vivunt (agnosces verba Ciceronis) qui è corporum vinculis tanquam è carcere evola verunt.* Quàm pulchrè & adpositè Seneca! *Imaginare tecum, quantus ille sit fulgor, tot sideribus inter se lumen miscentibus. nulla serenum umbra turbabit: equaliter splendebit omne cæli latus. Dies & nox æris infimi vices sunt. Tunc in tenebris vixisse dices, cum totam lucem totus adspexeris, quam nunc per angustiissimas oculorum vias admiraris tam procul.* Fruitur hac luce SIGISMUNDVS tuus, ille meliore sui parte Deo junctus, & æternus, cui pravo dolore invidere felicitatem videre. Nolo te cadaver moveat; primis initiis dumtaxat tuum. quantillum est, à matre, à nutrice, ab alimento & terrâ est: & nunc in terræ magno sinu quiescit. At enim imago mea periit, inquires, in tenellos istos artus & membra perfectis lineis transfusa. Statuam pariter censeo. formam inanimem etiam cera, lapis, metallum recipit, fideliusque tenet. nemo filium vultu æstimat: nec tu corpore defuncti, sed animo ipso movearis. Ne fallamur adfectu: animo corpus sarcina est; fumitur, ut quandoque ponatur. Gerimus hoc onus mortales, quamdiu mortales; sed miseri, imò servi, quamdiu gerimus. Felicem igitur & liberum Immortalitatis præmio filium habes: infelicem & servum mortalitatis jugo habuisti. Lugere felicem, stultum est: exoptare infelicem, impium est. Tu luctum squalloremque pone, mi CANTONI, & tranquillo vultu ac animo Constantiæ publicum exemplum forma. In te conjecti urbis oculi: malè Litteræ & Sapiencia audiat, nisi in sereno sis: malè tu ipse, qui  
nomen

nomen in Litteris & Sapientiâ adeptus. Prolixum dolorem prolixâ sic satis epistolâ infectatus sum. Te amo, & vivere ac salvere jubeo. Mediolani, Kalend. ipsis Anni ∞. Idc. vi. quem faustum lætumque voveo, & novâ prole fecundum.

EPISTOLA VII. *Mediolanum.*

FRANCISCO TVRRIANO

*suo S. D.*

**S**ic decet, mi TVRRIANE, bonis Musis & simul Sophiæ operari: Stilum colere, atq; etiam Mentem. Sic quidem nobis aliisque utiles sumus, inter vivos occupati. Hem! cadavera hominum, qui animum rudem, linguam incultam habent, & quorum in umbrâ silentiôque omnis vita. Sine alimento flamma non est: nec sine Sapientiâ sermo; aut si est, horridus fatuusque. Ut in conviviiis irritamus mulso palatum, sed mox robustiora capimus & carpimus fercula, redituri ad suavitates: ita in Litterarum hoc apparatu sive regno distincti missus sunt, & nos varii multijugi eruditione. Amœni sumus, severi sumus, & Protei in Musarum scenâ. Nudâ Sapientiâ bonus esse poteris, ornatus non poteris. Habet illa delicias quoque suas, habet pedissequas, & Elegantiarum quodam satellitio stipatur. Ut cùm Princeps in publicum prodit, non in ipsum tantùm oculos conjicimus, sed in circumfusæ pompam majestatis: ita cùm caput illud doctrinarum veneramur & colimus; debemus quoque ipsas: cùm rerum curiosi sumus, etiam verborum esse. Sed non te fallam, aut abducam ad sinistra blandè peccantium vota.

*In studiis, ait Seneca, puto mehercule melius esse, res ipsas intueri, & harum causâ loqui: ceterùm verba rebus permittere, ut quâ duxerint, hæc inelaborata sequatur Oratio. Et sequetur, si & ante Sapientiam aliquando culta, nec post eam spreta. Stolidè peccamus hodie, & simul in Sapientiæ arcem prorepimus audaculi, solâ cogitatione levamus animum, omnémque Philologiæ supellectilem ceu inutilem averfamur. Sic etiam nuper inventus (ô frontem hominis!) qui objurgatione invadere Adolescentem ausus, quòd ad sacra nostra vultum reflexerat, Philosophiæ adstrictus. Sed obsecro, quæ ista Philosophia est? vana, vilis, fervilis; & quæ tales cultores suos facit. Ab his avertò stilum, imò animum; & te calcare viam jubeo quam cœpisti: adhærere vestigiis meis, illiúsque quem audis. Non tibi virum laudo: SEPTALIVS est, & hunc, ex re Juventutis sit, solum in solio Sapientiæ cerni. Ego Lovanii nunc sum, & doceo. Frequens juvenus est, diligens, modesta. Non scholam, sed sacram aliquam ædem dixeris; cœtum, qualem fœctum aliquod theatrum stipet. Paucis: ex animi sententiâ doceo, fructúmque vocis capio, apud tam frequentes, apud tam faventes. mutos & immotos omnes habeo, quamdiu loquor. Sed nec imparatus hic mihi pulpiti apparatus. Dicenda concipio; & luxuriant illa tum Venere suâ, & ferventis ingenii ubertate. Ut non sine promulside convivium: sic neq; sine præfatione Lectio est. mulceo Audientium animos, priusquam erudio. Te verò & hîc nunc habere cupiam; quem in incude studiorum formavi, ampliùs polire & ornare. Tale Ingenium tuum est, ac planè meretur. Vtinam adsis, ad unum atque alterum annum! Sed desino, & scribere te jam volo ad meum*

exem-

exemplum, copiosè. Excrevit enim Epistola, sub manu: sic suave tecum loqui, ac industriam tuam excitare. De FARNESIO, REGIO, MASSINIO adde, quos omnes amicè saluta, & ante omnes TVBATIVM meum, semper meum, cujus desiderio torqueor. Vale mi TVRRIANE, & pro nomine te gere. Lovanii Postrid. Kal. April. ∞. Inc. VII.

EPISTOLA VIII. *Alexandriam.*

OCTAVIO MONTIO S. D.

**T**EMPESTIVA nunc quidem scriptione rumpere silentium videor, plusculum calamo feriatum, non animo. Hunc enim sæpius ad te misi, & ad otium illud quo frueris, ex hoc velut turbine rerum & curarum. O tranquillam solitudinem, aptam Sapientiæ atque etiam Musæ! Nec est quòd fortunam meam suspicias, tuam contemnas. Ego in mari, tu in portu es, mi OCTAVI: ego jactor, tu consistis, firmus animi & quietus. Crede, quisquis in alto, vitæ infesto voto æstuat. Frustra magnam scandas navem: quicquid pelago commiseris, jactatur. In portu sine periculo, sine nausæa te cymbula vehat; & tamen ad usum atq; etiam voluptatem. Magnum munus, magna navis est, curis & calumniis exposita, & ictibus Fortunæ. In privato cymbulam invenias; tranquillam quidem, si tranquillè regas. Extra omnem omnino motum vivere, nemini mortalium licet: hæc Deorum conditio est. Licet tamen aptare Fortunæ animum, & magnum in re parvâ esse, si Sapientiæ præceptis cupiditas refrenetur.

*Letus in præsens animus, quod ultra est,  
Oderit curare.*

Sed tuus annon talis est ? esse spero, aut potius cupio : & te in quietis illo lare quietum ac constantem. Vale & scribe. Mediolani, Prid. Non. Maii, ∞ .Ioc.vi.

## EPISTOLA IX.

MARCO VELSERO,

*Reip. Augustanae III. Viro Praefecto.*

**V**T, cùm nubilosum cælum est, animus agri-  
tudinis quodam rore imbuitur : ita, cùm con-  
silia nostra inopinato impedimento suspensa.  
Vide infortunium meum. magno itinere Germaniæ  
latus emensus sum, nec te, Germaniæ lumen, oculis, ut  
in voto erat, usurpavi. Diem sine sole habui : sine gau-  
dio iter. Quid facerem? Familia universa transferenda  
erat ; nec commodè, nisi per Basileam, & Rhenum.  
Compendium fluminis nosti. Coloniae nunc sum, &  
hospitio optimi & amicissimi viri HENRICI HOFSLA-  
GERI, utor; Popularis, & obliquo sanguinis radio pro-  
pinqui. Is tuo quoque nomine benignus in me, deli-  
ciis omnibus adfectum hospitii miscuit. Hinc in  
Patriam, & inde Lovanium propero, ut Manes magni  
LIPSI venerer, & oblatum ab Ordinibus munus ca-  
pessam. Vale. In urbe quam dixi, Prid. Kalend. No-  
vembr. ∞ .Ioc.vi.

EPISTOLA X. *Mediolanum.*

LVDOVICO SEPTALIO V. C.

**N**ONDVM perveni, & scribo. ita pollicitus sum,  
atque facerem quoque, tametsi non essem pol-  
licitus.

licitus. Ceterùm iter prosperum atque expeditum fuit, aërisque beneficio usi Coloniam Agrippinensium salvi appulimus, iv. Kalend. Novembr. Hic ab amico & populari excepti hospitio, humanitatem patriam cœpimus experiri. De Vxore, Filio, & HELENA quæris? Viriliter omnes, sive equo, sive curru, sive navi, vecti sumus. Verbo dicam: valemus meliùs, & Mea desiderium Patriæ jam profectioe aliquantum videtur digessisse. Itineris comites bonos & ad arbitrium meum habui; ac me vidisses, ceu strenuum ducem, reliquum agmen moderari. Summa Alpium nocte & lunâ sublultri transivimus, cum dubiâ caligine loci terror velaretur. Næ admiranda Naturæ opera, sine admiratione non videnda. Iam pons Averni, ut vulgariter appellem, miro situ & opere geminam rupem jungit, & elisarum aquarum continuo quodam rore imbuitur. Oculis & auribus naturam loci usurpes, horreas. præsertim, cum non sine maximo strepitu iram liquidi elementi spuma effundat; & transitum sive abyssum illam cavæ pendulæque rupes continuo velut noctis colore impleant. Obliqui flatus hîc quoque sæviunt, velut ab ipso Æolo immissi; ac incautus aliquis, monogrammus aliquis, in maximam malam crucem abripiatur. Sed hanc asperitatem itineris benignior Germaniæ Genius exceptit, &, addam quoq;, Bacchus. Nobis tamen sobriis in tantâ gulæ corruptelâ esse licuit, atque etiam jucundis. Noctes verò non parum valetudini profuerunt. Ut mos Germaniæ, lectus lecto sternitur; & tam molliter tecti plerumque fuimus, quàm cubavimus. Cogita quibus deliciis somnum provocet, ubi stratum bajulat qui dormit. Sic geminatus calor solvit  
meatus

meatus, & sudorem velut rivis educit. Balneum pænè lectus fit, & lavamur nudi. Ego mihi videor paucis noctibus vitiosam corporis auram hac eliquatione consumpsisse. De Auspicio studiorum scire cupio, quomodo exspectationem urbis novus Professor impleverit, & quo animo exceperit muneris sui auctores. Filioli mei curam aliquam esse penes te volo: eorum quoque, quos meos esse nosti. De rebus publicis quid dicam? Æstus quidam est, & surgunt hæ undæ fugiuntque, velut per vices. Grollam obsidere iterum hostis cœpit: nostri, collectis viribus, in Frisiam reversi. Res Venetæ sollicitos nos habent. Deus pacem Italiæ servet, jamdiu florenti; te nobis firmum, Vir Clarissime, quem scriptionis hoc officio adire volui, & venerari. Vale. Colonia Vbiorum. Prid. Kal. Novembr. co. lxx. vi.

## EPISTOLA XI.

*Ticinum.*

ISABELLÆ ANDREINÆ.

**S**CRIBENDI desiderium, & simul argumentum mihi è Litteris tuis crescit: decrescit stilus & eloquentia. Tantum videlicet ab animo manus discrepat, ut illum excitari ad respondendum, hanc retardari sentiam ab eadem tuâ Suadâ. Animus enim modestiam tuæ scriptionis, manus elegantiam æmularatur. Modestiam, quam imitari (liceat dicere) possum: elegantiam, quam non possum. Sic igitur excitari me profiteor, ad id quod possum; retardari in eo, quod non possum. Scribere enim ad te cupio, & non cupio: cupio, ne officio desim; non cupio, ne infantiam peccem. Et tu tamen ut scribam, eloquentiæ mihi laudem



laudem impertis. Desine scribam, ut deinceps infantiam meam accuses, officium non desideres. Vale.  
Mediolani. xv. Kal. Ian. ∞. Ioc. i.

## EPISTOLA XII.

*Romani.*

IOANNI HANSENIO S. D.

**Q**uid tu autem? hanc urbem cogitas? Crotona cogitas. Nusquam bene est, qui Romæ malè. Vbi sis, esse velis; & bene eris, si tu ipse bonus. Sed hîc quoque malè eris, etiamsi bonus. Vale. Prid.  
Kalend. Anni ∞. Ioc. iv.

## EPISTOLA XIII.

*Illustrissimo & Reverendissimo*

FREDERICO CARDINALI BORROMEO.

**Q**uod ore maluissem, calamo nunc faciam, & de BRVEGELIO breviter scribam; de me obiter. Ab illo Litteras nunc iterum accepi, titulo dumtaxat meas; ceterum argumento tuas, florum plenas & amœnitatis. Ver ipsum adspirare novis odoribus visum. Ac sanè admiratus sum tã vario labore in unam congestum tabellam, quidquid ubiq; terrarum delicata natura produxit. magis etiam, si verni omnes isti flores sunt, & adumbrata renascentis anni ornamenta. Vide indicem, & in nominibus pretium operis & varietatem. Fatetur ipse nunquam laboriosius se pinxisse; & hanc tabulam, velut delicias Floræ, jure & meritò Sacræ tuæ Purpuræ sacratum ire, in exemplum artis. Ut ludi olim seculares: sic videntur hi colores,

C

res,

res nec visi, nec vidēdi, nisi ab hac manu. Brūmæ im-  
gunculam accepit, quam villulæ adjectione è præ-  
scripto novabit, aut potiùs ornabit, *Ξωρρεϊον* verò, sive  
animalium picturam, floribus absolutis ordietur. De-  
nique ante Septimanas aliquot, amicorum precibus,  
misisse epistolam se scribit, & nescio quem ALEXAN-  
DRVM BOLOGNINVM Clementiæ tuæ commendasse;  
quem destitutum omni auxilio, incertum quo crimi-  
ne, aut criminatione, palatii tui carceri mancipatum  
esse, famâ percrebuit. Addit virum hunc gente &  
amicis Belgam, atque Antuerpiensem esse; & cala-  
mitate civis & propinqui sui plures miserrimè adfe-  
ctos. Rogare se nunc denuo & obsecrare, uti causam  
inspicias, adflicto & inopi auxiliarem Benignitatis  
tuæ auram indulgeas. Haftenus BRVEGELIVM au-  
dis: nunc me, & pauca mea verba pariter solitaque  
facilitate admitte. De habitu meo *δεδογμένον τὸ πραγματῶ, ἀνεπ-  
ρίφθω κύβος*. Ego tamen nescio, gaudii causam, an do-  
loris, potiorem habeam. istic Patria, quies, locus ti-  
tulusque Lipsianus alliciunt: hîc, ut reliqua omittam,  
tua illa Lubentia, & Bibliotheca me retineant, &  
jam surgens Litterarum & Ingeniorum spes. Itaque  
temperabo utrumque hunc adfectum, ut in vultu a-  
nimóq; meo Italiæ amorem, tui cultum Patria agno-  
scat. Sic abibo, ne abiisse videar. Tu quoque, Ill<sup>me</sup>  
& Rev.<sup>me</sup> CARDINALIS, sic dimitte Puteanum tuum,  
quasi retineas: ac certè meliori mei parte remansu-  
rus sum, æternumque nomini numini que tuo adhæ-  
surus. In tua urbe, VII. Kal. Sext. ∞. Idc. VI.

EPIST.

EPISTOLA XIV. *Ticinum.*

ANTONIO MAGHINO SVO.

**E**GO seriò & sine ambitionis fucò te amo, suavissime MAGHINE, quem sine fucò doctum modestúmque reperi, Candoris ipsius Myrtam. Magnum & rarum hoc donum est, implere optimarum artium censu animum, non tamen extollere: multa scire, plura velle discere. Facis; & hac te notâ ostendis, non scientiâ tantùm dignum, sed famâ. O multi essent, qui viam eandem calcarent; illam ab Antiquis stratam, tot sentibus, tot ineptiis, tot tricis, tot ingeniorum remoris, quibus tenemur, sublatis! Publicus error multos impedit: corrigendus tamen, si, quod pauci faciunt, plures renitantur, & recto pede pergant ad doctrinarũ metam. Nunc magna seculum vanitas, imò infelicitas premit, ut umbram aut personam dumtaxat sapientiæ videamus; ut scire per nebulam omnes se existiment, qui in scientiæ limine hærent, ad ipsam numquam ingressuri. Sed tu felix, qui jam amplecteris candidam Deam, in Naturæ bonarúmque artium penetralia receptus. Huc adspiro; & te, quod initio dixi, seriò & sine ambitionis fucò amo. Vale, Clarissimúmque IMBERTVM saluta, item Farnesium, quem hîc ante dies aliquot vidi: ita repentè se subtraxit & proripuit. Scripsi in foro, in tumultu, in librariâ tabernâ; propitio Mercurio, an adverso, nescio; cùm BORDONVS vester jam accinctus esset ut abiret. Postrid. Kal. Septemb. ∞. I. C. III. LVD. SEPTALIVM V. C. amicum habes, & magnis conatibus tuis seriò faventem. Ad hunc verò cùm rescribes, litteras dirige.

IO. WOVERIO V. C.

**N**ON sine molestiâ primam illam horridâmq̃ noctem exantlavimus. Navis, pœna fuit, & cruciatus merus: gravis hominum, animaliumque, & mercium fœtor enecabat. Fuimus, ubi noxii manes expientur. inter Gallinas, Caseos, sordes cubavimus, & ad pedes circumjacentium, qui pestilenti sudore nares nostras vexabant. Sed ne omnino infelices essemus, blando à nautis jurgio nescio quas angustias pænè sub clavo extorsi, sed & hîc sentina. Tres mulierculæ erant, à recenti convivio madidæ, garrulæ, obscœnæ, & tota encœnia vestra temulento & halitu & sermone eructabant. Iustus meus in carinâ tamquam in lectulo jacuit, nec quicquam de Spartanâ illâ indole remisit. O delictum pueri! qui lenire navis tedium poterat, nisi totam noctem arctissimo somno oppressus filuisset. Sic navigavimus. Litteræ tuæ ad P. SÆDVLIVM curatæ. Ego hoc nunc ago, ut quietum habere animum liceat, in bonis ac seriis occupatum, à nugis, ineptiis, votisq; plebeiis alienum. Nam profectò, ut stulta humanæ gentis cupiditas est, in omni vitâ, vitæ dumtaxat instrumenta quærimus; & cōstipandis divitiis occupati, tamquam victuri, numquã vivimus. Ætas cujusque ad virtutem mera via est, sed numquam non remotam. Quam petimus vani metam aut figimus, quotidie protollimus, & per votorû ambages circumducimus animum, quasi ad sapientiam præparemus. Itaq; anni fluunt, & summa vitæ ad sepulcrum venit: abundè beati, si aurea saltem nomina relinquamus. O umbræ hominum, qui omni animi cultu destituti,

destituti, à solis divitiis famam sperant, & à lapide æternitatem! Pessimis quique, superbissimis sunt; & virtutem totâ vitâ ignotam, imò exulem, tumulo ceu familiarem præscribunt. Etiam dico? Luxus cadavera sequitur; & in putrido corpore totus ille homo ornatur. in frigido demum lapide MAGNVS, PRVDENS, ELEGANS, LIBERALIS est, qui numquam fuit: & tot jam tituli, ut columnæ vix sustineant. Tanti scilicet est, tantas opes felici calliditate cumulare; tanti, nomen apud stultos habere divitem. Nos potiùs Boni habeamus. Instrumenta quæramus virtutis, sed utamur. Divitiarum modus esse debet: cum egestatem pepulimus, ad curam nostri revertamur, ut ferre divitias possimus, vitam autem honestè tolerare. Non est magna virtus: in mediocri fortunâ coli potest; imò in nullâ, si severiùs philosophemur. Sed id per ævi nostri mores non licet. Ego quod dicere cœperam, hoc ago, ut laborantes adhuc res stabiliam; fortunas pro onere habeam, quod sustineo publicè privatimque. Arcam cum supellectili & libris curæ tibi esse cupio, ut quamprimum Lovanium transmittatur. Insunt, quibus statim velim uti. Vale. Bruxellæ, x. Kal. Sept. ∞. Ioc. VII.

EPISTOLA XVI. *Florentiam.*GVLIELMO ATHENIO *suo.*

**O** GRATAM epistolam tuam, mi ATHENI, amanter, copiosè, sed & tempestivè scriptam! atque hoc haud soles: illud & istud semper. Amare enim videris, quia copiosus es: copiosus autem videris, ut silentium impetres. Noli: Epistolæ, amoris velut ra-

dii sunt: qui si calentes & recti, nubeculas occupationum & velut intervalla rumpunt. Tu quia amas, scribe: & quem admodum amas, continuò & copiosè. Vos Medici conferre valetudini censetis, modicè, sapiùsq; esse; officere, longas jejunásq; moras crapulâ distinguere: ita planè amicitix sacrum vinculum stringit scriptio, aut etiam laxat. Sed cur velitamur? cur non unà sumus, & spirantem vicissim affectum ore oculisq; promimus? per me non stabit, mi ATHENI, qui operam tibi in hac re meam non polliceor, sed impendo. Quicquid est, larem meum, tuum cense. Quid ni?

*Ego tu sum; tu es ego: unanimi sumus.*

In Eloquentix munere persevero, ac nudiusquartus publicè dixi, verbis solito copiosior, & actione ardentior. argumentum vis? SECUNDA AVSPICIA mea sunt. videbis, & judicabis. MERCVRIALEM meritò æstimo, virum doctrinâ æternum; meritò amo, mei tam amantem. te quoque æstimo, apud illum virum; amo de amore certantem. VANDERMYLIVM suavi objurgatione dignum censeo: quem tamen hinc abiisse scire debes, postquam urbem lustrarat. Tu Vale, & sapius scribe. Mediolani, VI. Kal. Novembr. ∞. I O C I.

## EPISTOLA XVII.

*Venetias.*

LIVINO DE SVCCA S. D.

**V**ELLEM ut velles, mi LIVINE, & pulsus tot curis, tot malis, semel ad tuos, & te redires. Quousq; enim hæsurus in his locis, aut quo fine? Donec pretium apud alios, quietem apud te invenias? utrumque, si manes, longum aut longinquum. Nam æstimare virtutes alienas quisq; dediticit, qui proprias non dicit,

dicit. Tu verò da mihi unum aliquem ex illis multis, qui per Litteras ad Famam pergat, & consultum velit Litteratis. Hi nomen & Æternitatem cogitant: ille spernit; & vis ut de suo auxilietur? ut altos probòsque conatus foveat? ut contra animi sui sententiam animum tuum attollat? De quiete quid inculco? Domineam, & apud tuos invenies, si opinionem aliquam vinctes. Annon tui te vocant? vocant certè, & humanum est, audire. benè tibi cupiunt; decet acceptare. Beneficium temnis, quia propinqui offerunt: & ab aliis admittas. quid hoc aliud est, quàm amicos velle, qui non sunt; nolle, qui sunt? Nec beneficium, sed officium est, quod à propinquis venit. Ergo ut beneficii onus fugias, officium admitte: & ne ignotis te obstringas, humanitas tuorum apud te obtineat. Ego te rogo, ratio suadet; semel compone voluntatem tuam, nec tibi ipse inimicus esto. Militiam cave cogites. vides favores mortuos esse, stipendia tarda, pericula propinqua. Itaque Mars facessat, & in quietem annos loca, ut studia excolas, & tranquillias Musas. Ego certè ex animo te amo, & amore dictante sic scripsi. Vale. Mediolani, Prid. Non. Jun. ∞. lccii.

EPISTOLA XVIII. *Mediolanum.*

PET. FRANC. MARIANO, *Auditori suo* S. D.

**E**LEGANTER sanè & amicè ad me scribis, mi MARIANE; sed parum ego elegans, parùmque amicus, nisi rescribam; imò nisi ad tuum nutum arbitriùmque me totum flectam & inclinem. Ut arundo ad lenem auram: ita ad honestam petitionem ego moveor; ad inhonestam annosa quercus fio, & immotus sum. Tua verò petitio planè honesta

nesta ac liberalis est, & sic jure suo facile obsequium meretur. Itaq; , quia ita vis , unà tecum libet feriari, & , deprompto è sinu melioris notæ libello, historiam aut doctrinam aliquam veterem delibare, ipsam illam Philologiam otiosè complecti. Libet etiam, si litandum Sophiæ censes,

----pios

*Errare per lucos, amœnæ*

*Quos & aqua subeunt & aura.*

Errare inquam, & Peripateticorum more, aut Naturæ secreta curioso sermone persequi, aut neglecta virtutis præcepta à priscis seculis revocare. Quæ vita mortalium, & quæ vota sint, vides: ad lucrum quosque, fastum, vanitatem projectos. Bonam mentem, bonasque Litteras quis amat, aut æstimat? In pretio pænè scelera sunt,

*Neque quicquam hîc vile nunc est, nisi mores mali:*

*Eorum licet jam messem metere maximam.*

Sed remedium ab hisce studiis Litterarum & Sapientiæ petendum est. At nunc te sequor in apertum, in amœnum aliquem & suburbanum locum, ut ista otiosius. Nam per libera illa spatia Musarum & Nympharum, nescio quomodo se animus magis effundat: quasi sui juris, alta & æterna cogitat, humilia & vana fastidit. Hæc vis à cælo quidem & elementis est: quæ, quia pura magis extra urbem, quàm in urbe, ad pura magis ducunt. Corpusculum si malè affectum habeo, aërem muto, rus eo, in villam secedo; scilicet valetudinem recuperaturus. sed profectò animus est qui curatur; & à quo vigorem roburque suum corpusculum derivat. Ille si laborat, frustra corpori medicinam vel ipse Æsculapius paret. Frustra etiam Scholam nobis feriæ nunc arctent, Æsculapii causâ. Itaque  
ut fir-



ut firmi corpore simus, animo medeamur: mederi autem facilius ruri Silvanus, quàm in urbe Æsculapius poterit. Salve mi MARIANE, & me ama ac audi, utrumque si mereor. VIII. Eid. Iun. ∞. Ioc. III.

EPISTOLA XIX. *Ticinum.*IOANNI TUBATIO *meo,**Viro Optimo S. D.*

**N**VNC verò molestiam absentiae tuae experior, mi amicissime TUBATI, & in tantâ multitudine ipsam solitudinem colo. Sunt profectò, quibus sinistra mamilla subsiliat: sed in securo silentii secreto. Sic vivitur. O beati, qui magnam & confusam errantium turbam non sequuntur! Quæ cruces oppressos animos lancinent, è sereno Sapientiae colle discernimus, & simul miseramur. Quid tamen est? Felicitatis opinio plerosque ducit, & ipsa originem à Spe & Metu. Hic miseriae humanae pater est, illa mater. Vitandi, aut arcendi, ne sedem in libero pectore figant, profluviòque mentem obruant pertinacium errorum. O ille magnus! cui Ennianum illud proferre datum:

*Vivam, an moriar, nulla in me est metus.*

Imò magnus, qui ex futuro non pendet. Quòd si tamen alibi nobis Fortuna titubet, erigendus animus est, ut ipsa corrigatur. Nemo tam infelix, cui Natura defuit. Prudentia quoque fluentem rerum ordinem aut sistit, aut derivat. Sed te nunc quidem, mi Tubati, opinor prosperius agere; etsi semper prosperè, si animum spectem. Vale. Mediolani, Postrid. Kal. Decemb. ∞. Ioc. V.

D EPIST.

EPISTOLA XX. *Mediolanum.*AUDITORIBVS *meis* S. D.

**P**OSTQVAM vocem vultúmque subtraxi, scriptio-  
nem & animum substituo: animum in scriptio-  
ne; & ex animo scriptionem. Ita enim voci vul-  
túque meo honorem, pænè dicam venerationem,  
ivistis habitum, ut nisi scribam, inhumanus; nisi lu-  
benter scribam, impius videar. Agnoscere benefi-  
cium scribendo me profiteor; & hoc humanum est:  
æstimare lubenter scribendo; & hoc pium est. Fu-  
cum dolúmque ab ingenio meo arceo: & extra fu-  
scas novarum artium nubes, purum Naturæ meæ co-  
lorem repræsentio; acceptum aliunde favoris lumen  
non involvo. Ego quidem, quid non à vobis acce-  
pi? Quòd PALATINA nostra floreat, quòd Litteræ  
& Suada reviviscat, quòd ipse *monstrer digito prætereun-  
tium*; totum hoc humanitatis vestræ munus est: qui  
cùm docti sitis, tamen discere à PVTEANO; cùm nobi-  
les sitis, in neglecto hæctenus loco versari voluistis.  
Prorsus, ut exemplo vestro torpor ille publicus juven-  
tutis corrigeretur: ego autem industriæ meæ laudem;  
Schola Antiquitatis dignitatísque gloriam inveni-  
ret. Quid igitur est? Scripto animoque vos rogo, ut  
deinceps quoque vocem atque vultum meum æstime-  
tis; hunc & illam cis pauculos dies Scholæ & urbi ve-  
stræ reddendam, acriorem & alacriorem fortassis so-  
lito, cùm jam nescio quid ROMANVM spirem. Valete,  
me & ÆTERNITATEM amate. Romæ, Postr. Kal. Maij,  
∞. Ioc. III.

EPIST.

## EPISTOLA XXI.

I O. BAPT. SACCO, V. C.

*Senatui Mediolanensi à Secretis.*

**D**OLOR in habitu natus, nunc scriptione recrudescit. Ægre enim te reliqui; & nunc cupio, quia reliqui; imò adsum, quia cupio. Etiam hic alas Amor habet, & meliorem mei partem transfert. Adsum igitur, & itineris successum non tam scribo, quàm repræsento. Epistola, velut tabella est, & vero narrationis colore distincta. Hactenus enim ex voto nobis profectio, limitibus pænè Patriæ, atque adeò liminibus miscuit salvos. Vicini metæ sumus, & hanc tangimus extenso quasi pede. Equis, curru, navi fessos Colonia Agrippinensis admisit, diebus xviii in itinere consumptis. In lacu Verbano primùm ad pericula armavimus animos, cùm ferocioribus undis navicula quateretur, & timentium pectora nausea affligeret. Hic muliercularum morbus est, facilique motu stomachum solvunt. Sed in Alpibus deinde fortiores, tamquam viri omnes, prærupta illa viarum, omnémque terrorem superarunt. IUSTVS CÆCILIVS meus masculum se præbuit, & molli gestatione in somnum sæpius prolapsus, ne scire quidem potuit se proficisci. Basileâ navi vecti sumus Moguntiam. atque hîc tranquillior aër erat, invitavitque placido vultu flumen, ut conscenderemus denuo navem; Coloniâque appulimus. Bidui itinere Lares Patrii

D 2

distant:

distant: & plus tamen jam periculi, velut in viciniâ belli. Circumcirca Mars inhorruit; & cùm cedere Batavi viderentur, animos resumpserunt. Noster Poliorcetes Fortunam amplexus, hostes laceffitum ivit, à quibus jam Grolla obsidione cingitur. Deus adsit, & felicia novi belli initia promoveat. Ego Lovanium, & ad quietem meam tendo: sed te novo affectu mihi jungo, absentis lateri animo adhæsurus. Magnum Principem FONTANVM per te veneror. Dare signum grati animi cupio, & jam torqueor ipâ morâ. Dabo autem, & liberalissimæ humanitatis affectum gloriosè prædicabo. Interest publicè, ut illa Principis bonitas, illa benignitas, illa veræ Virtutis Pietatisq; imago, in exemplum celebretur. Illustrissimum Præsidem POLVM, Patronum mihi scripsi olim, & nunc scribo; cui in me jus arbitriûmque esse volo. Hoc à te sciat. De AQUILINO commodo tuo scribes, quo plausu munus suum auspiciatus sit, quâ spe aut fructu doceat. De me copiosius propediem habebis. Prodiere Orationes mex: vide obsecro, & Principi Præsidiq; exemplar trade. Vale cum Conjuge & Fratre. Colonia Vbiorum, Prid. Kal. Novembr. ∞. Ioc. VI.

EPISTOLA XXII. *Bruxellam.*

AMBROSIO SPINVLÆ,

*Militiæ Belgicæ Supremo Præsecto.*

**P**VRAM devotamque tibi mentem hæc manus exprimit, jam verecundiæ impedimento spoliata, quia extra conspectum tuum, & præsentis clarum lumen. Radius, benignissimus ille vultus est: ignis,

ignis, sermo. Hoc radio percussus, hoc igni accensus sum, ut adesse cupiam, & res gestas feliciter gerendasque stilo celebrare. Novum lætioris Martis Auspicem te Belgica sensit; & jam Scriptorem poscit, qui munus LIPSI postumum subeat, Historiamque ordiatur. Ego ordiar: sic me Benignitas tua respiciat, ut quantum pro Maximo Rege moliris, celebrari sustineas. Ut veniam igitur, meum, magnique Patroni mei Comitum FONTANI votum est; à quo quia serio commendatus Excellentie tue sum, ad supervacaneas petitionis delicias non descendo. Vale, vive, vince, Ill.<sup>me</sup> & Exc.<sup>me</sup> Princeps, & mei meorumque Patrocinium suscipe. Mediolani, XVIII. Kal. Quintil. ∞. Idc. VI.

## EPISTOLA XXIII.

*Illustrissimo & Reverendissimo*

FREDERICO BORROMEO, S. R. E. CARDINALI,

*& Archiepiscopo Mediolanensi.*

**O**CVLOS judiciūmq; tuum versiculi hi poscunt: digni ( quantum ego quidem existimo ) qui saltem ad examen melioris mentis veniant. Si fallor; ad argumentum provoco: quod quia pium est, erroris mei audaciam excusabit. Salve, & me ama.

## EPISTOLA XXIV.

R. V. INNOCENTIO ECCLESIO S. D.

**S**VAVISSIMAM epistolam tuam accepi. delicias, non verba legi; & in ipsa scriptione imaginem

D 3 tuam

tuam amplexus sum, illam lætam, illam amœnam: quam ego tamen per silentium, p̄rque varium iter, animo mecum circumtuli, velut ipsam animi mei umbram. Quid umbram? imò velut lucem facemque in re Doctrinæ & Virtutis. Vtramque certè sectatus sum & sector, per compositam modestamque vitæ ac studiorum viam. Nam postquam Italiam universam curioso & simul religioso circuitu perlustravi, Mediolanum reversus sum, ad vetus, & novum etiam munus, quo Rex noster me sibi & Insubriæ adstrinxit, titulo Historiographi sollempniter misso. Iam vester eram: & tamen ampliùs esse velim, ut inter cives tamquam civis versarer. Quare expensis libratísque humanæ vitæ conditionibus, bono jure & arbitrio consortem individuum mihi junxi, quicum tranquillè felicitérq; ætatem exigerem. Spes etiam prolis accessit: ac mox videbo, qui ex me & post me futuri sunt. Quod caput, bonam bonis prognatam duxi, quæ liberos quoq; det bonos. Scriptio tua vernacula ita salivam mihi movit, ut panè nolim ad aliam te transire: quia sic tamen feliciter, latinè verò optimè scribis, tuo arbitrio rem gere. Vale. Mediol. XVIII. Kal. Ian. ∞. Ioc. IV.

EPISTOLA XXV. *Parmam.*

MICHAELI RVSTENBURGIO.

**I**VNGO dexteram, mi RVSTENBURGI, & Amicitia Sacramentum juro. Sine fūco ac fallacijs, more majorum: ἀπὸ καθέτας ψυχῆς. hanc enim naturâ & bonâ institutione ad humanitatis regulam compositam è fronte meâ divinare potes, non vanus *μελιωποσοκοπός*. Qui sum, videor: personam alii sumant. Candidus apud

puer candidos, & apud te. Sic & ipse nunc modestissimæ tuæ fronti osculum infigo, animo amorem. Tu si jam prior me amas, citiùs feriri animum, quàm frontem tam pio vulnere sentias. Ergo vale, si valere tamen, læso animo, potes. Mediolani, iv. Eid. Septemb. ∞. Ioc. II. Ponderus aliquod epistolæ huic adjungo, Orationem nuper habitam editamque. Lege, & quid agam, quo in munere verfer, intelliges.

EPISTOLA XXVI. *Bruxellam.*

HERMANNO GRELIO.

**I**psum REKENARIi nomen me recreavit, mi GRELI; Viri planè eruditi, & qui meliorum Litterarum primo nectare me imbuit; id est, amorem hunc infudit, quem melior aut purior aura ad fructum aliquem eruditionis produxit. In primâ illâ ætate profectus partem censeo, desiderium concipere: etsi concipere hoc nemo potest, nisi qui se profecisse senserit. Debeo igitur REKENARIO, & desiderii & profectus causâ: & quid, nisi libenter, debeo, ut profecisse me ostendam? Vive modò & Vale, mi Præceptor, & pietatem meam ama. Sed utrumque illud votum meum, vitæ ac valetudinis, dubium violenta lues, ipso panè rumore longinquos vulnerans, facit. O miseriam! nisi pejus Mars ipse sæviret. GRAVIA, quid nisi gravem ruinam vicinarum urbium trahit, si sic eripitur? unâ Venona perit, & optata Patriæ quies: perit unâ illud meum:

LARE SECRETO *tutoque tegi.*

Quid

Quid igitur? latebo apud ignotos, extra strepitum & bellicum tumultum, studiis deditus, & tranquillis Musis.

*Italiam Lyciæ jussere capeffere sortes.*

*Hic amor, hæc patria est:*

Et erit, donec fatali conversione in alium adspectum Res Belgicæ cōponantur. Fallor? an decumani illi motus repentinam aliquam quietem portendunt? Spera mi GRELI: & qui fuisti semper, esse perge. Ad veterem amicum nostrum Litteras hîc habes: cura. semper ingenium placuit; nunc magis, quia destinatum video publico Religionis bono. Sic amemus, & scribamus. Novi nihil nunc quidem, quod impertiar; nam ad turbas vestras omnia circumquaque silent. Vale. Mediolani, VII. Kal. Octobr. ∞. Ioc. II.

EPISTOLA XXVII. *Lovanium.*

GERARDO HOVÆO *suo* S. D.

VICISSIM te video, & alloquor, mi HOVÆE. facit autem epistola tua, ut videam; mea, ut alloquar, videntem, loquentem. Suave, imò suavissimum utrumque: cùm non minùs libenter amorem tuum, post annorum aliquot intervallum, hauriam, quàm meum refundam: quippe veterem, purum, defæcatum, è pectore in pectus fidum. Te puerum puer novi, ingenium amavi, & admiratus sum. Crevit hic affectus, adolevit, robúrque cum annis sumpsit, nihil silentio impeditus. Quid mirum? ut prompta vina faciliùs vim & odorem expirant, condita conservant: sic Amicitia à crebro usu, & officiorum motu, languorem capiunt; reverentiam, à quietis aliquo inter-



intervallo. Quæ Amicitia? non vulgares illæ, & fuco quodam blandæ; sed honestæ, & honesto ac dio Litterarum semine ortæ. *Neque enim est sanctius, ut Quinctilianus scribit, sacris iisdem, quàm studiis initiari.* Sacrum igitur hoc vinculum nostrum, imò æternum, quo ligati semel, & sic ligati. Fides faveat, faveat communis Genius Amicitia & Musarum: in Eloquentiæ studium planè

*Utrumque nostrum incredibili modo  
Consentit astrum.*

Ego quidem naturali quodam instinctu à puero huc ivi, ut pectore & ore instructo Suadæ litarem. Scilicet ad exemplum votumque antiquum,

*Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis*

*Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,*

*Quisquis adhuc uno partem colit asse Miner-vam.*

An & ipse reprehendendus sim, nescio. provecior certè acrius linguam stilumque exercere cœpi, Famamq; provocare, donec in publicum erroris mei audaciam produxi, ut vel hac specie difertus ipse viderer, si alios facerem, Oratoris laudem Rhetoris loquacitate adfectans. Tu verò perge, & Theologiam, scientiarum omnium pulcherrimam & nobilissimam, Eloquentiâ arma, ut feliciter, & cum publico Religionis bono pugnes. Non vires tantum, sed arma quoque necessaria sunt: non doctrina modò, sed etiam facundia. Illam pleriq; nostrorum habent; hanc negligunt. quam victoriâ speremus? Scio non posse veritatem succumbere; sed periclitari tamen posse. Antiqui, quasi sine eloquio esse sapientia non posset, *Hermathenam* coluerunt; imò in Gymnasiis dedicaverunt: & magni omnes Theologi Eloquentiæ in primis laude florue-

E

runt.

runt. Tu inter magnos esto, & me amato, mi HOVÆE. amare autem te intelligam, si quàm sapissime scribes. Vale. Mediolani, VII. Kal. Octobr. ∞. Ioc. II.

EPISTOLA XXVIII. S. *Constantium.*

PVCCITTO CINGVLANO S. D.

**A**MICITIAM meam postulas, Doctissime Vir? ego tuam. Facile inter bonos hic nodus stringitur boni Amoris, quo absentium animi, sine corporis impedimento, coeunt atq; coalescunt. Quid igitur? PVCCITVM meo pectore conclusum gero: ille PVTEANVM suo. Nisi renuis, sacrâ metempsychofi ego deinceps PVCCITVS ero, tu verò PVTEANVS. Sanè ipsa vitæ, animi, morum ratio atque similitudo nomen utriusque & imaginem confundit. Munere publicus es? Musæ gratiam, & ego sum. Animo moribusque rectus! Virtuti gratiam, & ego sum. Colamus porrò & Musam & Virtutem, mi Amice, ut Amici æternùm simus. Vale, & me rerum studiorumque tuorum fac participem. Mediolani, XVI. Kal. Decembr. ∞. Ioc. V.

EPISTOLA XXIX. *Amsterdamum.*

GASPARI DIEMENO S. D.

**V**T facilem viam tuæ litteræ; ita amor invenit. illas legi, hunc toto pectore hausi, suavi quodam laudum mearum murmure profluentem. Sic estis, (ô benignitatem illius oræ, illius auræ!) & mortales omnes mitissimâ morum temperie provocatis.

catis. Vidi Neptunum vestrum, illum tumidum interdum, & retorto impetu amœnissimam faciem urbis quatientem: vos tamen latos & jucundos semper; sine horrore, sine squalore; sale, non salo adspersos. Sed annon te quoque, tuamque epistolam? liquidè. Hæc tui quædam imago est, & certus character; cui ego, & *Promulscidem*, & *Fercula*, & quidquid ab ingenio meo natum, libens impendo. Tuum Mercurium; imò tuam Minervam! (illum enim colere te scribis, huic bene velle:) tantine libelli mei sunt, ut tam studiosè legas, tam curiosè inquiras? Scilicet, *merum mel & nectar*. quin hoc magis desiderio irritato tempera, ne languescat. Exigua gulæ in dulcore mora est: & animi. Mi DIEMENE, quorundam nauseam, imò stomachum annon expertus sum? & vix sine stomacho. Latus aut liber fui: ideoque reprehendor. Sed nunc corrigo, & rugas ac severitatem colligo; seria, solida, bona dicturus & scripturus. Quid si etiam in bono illo Patrioque solo? Quid agi cœptum, opinor, nosti. Deus faciat, teque, mi DIEMENE, in geminis his sacris perpetuò lætum, Mercurii & Minervæ. Librorum quem petis indicem seorsum hîc habes. De REKENARIO scire haveo, an superstes. Mihi ille Præceptor aliquando fuit, cùm

----*adhuc uno partam colerem asse Minervam.*

Et primum ille amorem Litterarum, imò rorem infudit, quo crevi. Mediolani, ut tuas accepi, III. Non. Jun. ∞. IOC. VI. CORNELIVM PLEMPIVM tuum, meum esse volo.

EPISTOLA XXX. *Ticinum.*V. C. HENRICO FARNESIO, *Professori publico.*

VIDE autem, quàm in parvo itinere magna  
 sæpe mora. Epistolam tuam xiv. Kalend.  
 Martii scriptam, heri ante primam facem ac-  
 cepi. An cochlea tardiùs potuit? Adjunctæ fue-  
 re TVBATII nostri Litteræ, ô amantes & of-  
 ficiosæ! quibus acres profectò mihi stimuli subjecti:  
 sed nonne jam post Trojam captam? ipsum te adfuisse,  
 gravem auro abiisse, Clariss. SACCVS indicavit. Ego  
 quid facerem? imò quid fecissem? μέλας γὰρ αὐτοῖς οὐ πε-  
 πήμεται βότρυς. Pro amico promptum medico, atque et-  
 iam præsto. Sed in curiæ his anfractibus illubenter  
 versor, imperitus novorum morum & artium. Has &  
 illos amo veteres: ideóque non in omnibus hominum  
 mihi suffragia favent. Sic tamen è Sapientiæ præscri-  
 pto lætus & αὐτάχρης sum: cum Senecã dicam, *animo sano*  
*Œ erecto, Œ despiciente Fortunam.* Hic fructus studio-  
 rum est, externa posse contemnere. Ciceronis præ-  
 clara verba usurpare soleo: *Quid enim ego laboravi, aut*  
*quid egi, aut in quo ex vigila verunt cura & cogitationes meæ; si-*  
*quidem nihil peperit tale, nihil consecutus sum, ut eo statu essem,*  
*quem neque Fortunæ temeritas, neque inimicorum labefactaret*  
*injuria?* Huc te vóco, mi FARNESI: an dicam, sequor? Per-  
 venisti tu namque ad

*Edita doctrinã sapientum templa serena.*

Ego in viã etiam sum; sed tua vestigia premo, ut per-  
 veniam. De Laconismo sententiam tuam vidi, & obi-  
 ter pauca quædam reposui: quàm properiter, aut po-  
 tiùs negligenter, Clariss. SACCVS dicet; & tu videbis.

Ipsum

Ipsū *σχεδιασμα* hīc habes; sed alienā scriptum manu, ut exemplar superesset. Vale, & amicum hoc certamen cense; me tuum. Mediol. III. Kal. Martij, ∞. Ioc. VI.

EPISTOLA XXXI. *Romam.*

HENRICO DE GRAVWE.

**I**GNOTVS scribo: sed scripturienti facilis occasio est, facillima amanti. Scribo autem, quia amo. Quid ni? Virtus tua, Doctrina, & Humanitas in aperto sunt; quæ diligere in externo aliquo solemus: quomodo non in cive? Ut ignis radii in proximos vehementiores: sic Naturæ & Amoris. magnum certè vinculum Patria est; nec solvendum, licet aut peregrinatione, aut alienis Penatibus videri possit laxatum. Infitio non mutat genus. SVGAMBRI sumus, erimusque, priscâ Fide & Virtute. Hanc utramque in te amo: sed desiderio utriusque ad amandum te laceffo. Vale, & fasciculum hunc ad ANTONIVM TELLICHTIVM, illum meum, imò illum nostrum, trans mitte. Mediolani, Kal. Martij, ∞. Ioc. VI.

EPISTOLA XXXII. *Ticinum.*

PHILIPPO MASSINIO I. C.

**B**ENEFICIVM daturus, an accepturus sim, nescio. Properè, properè: manus hospitales huic isti iniice. Alcinous esto: ipsum à Minervâ transformatum Vlysses nactus es. ----Τῶ δ' ἄρ' Ἀδύνη

θεοπέσιγν κατέχευε χάριν.

Genus, mores, doctrinam inspicias? dignus Lare tuo, mensâ, sermone est: & quem trahas, si recuset. Recu-

E 3      fabit

labit autem, quæ modestia ejus est, animique splendor: trahes autem, quæ humanitas tua & φιλοξενία. Sed vincat modestiam humanitas, splendorem φιλοξενία. ego ipse hoc exemplo aditum ad Larem tuum, mensam, sermonem, sterno: &, ita me Deus, veniam, si iste veniet. Iste inquam, nominandus nunc mihi, non laudandus; etsi sine laude non nominem. THOMAS SECETVS est, Disciplinâ LIPSIANVS, amore meus, nectar & delictum hominis. Experire dum licet; & abeunti hanc indulge voluptatem, ut ex Italia, & tuo simul limine extulisse pedem videatur.

Vale. Mediolani, Postridie Eidus Quintileis,   
 ∞. Ioc. VI.

EPISTOLA XXXIII. *Romam.*

FLORENTIO LAVRINO.

**V**BERTATEM tuam miror, mi LAVRINE: an imitor? Sanè vehementi exemplo me lacessis; nec epistolam, sed dissertationem conscripsisti. Ego verò malo adfectu nunc, quàm stilo, copiosus esse, quem non necessitas modò, sed pænè consuetudo contraxit. Quid agas? Cùm plures scribunt, compendiò rescribendum est; nō quasi te ponam inter plures; absit: sed quasi ante plures, qui neglectâ veste, nudo amore contentus sis. Ego nunc ad iter me compono, & videor adulto Septembri profecturus. Di Viales faveant: tu quoque fave, nec composito isto sermonis schemate Belgicam mihi preme. Tametsi adflicta; tamen Patria est, id est, major nostra Parens. è gremio te illa suo emisit, ut recipiat. esse aliquando de-

do desinas, ubi cœpisti. Hæc mea mens; imò mortalium omnium. quam rejectam à nonneminè fateor, magnificè potius quàm verè; ac nisi fallor, in eorum gratiam sive consolationem, quos non voluntas, sed necessitas à Patriâ removit. Inspice & examina exempla; invenies. At enim ais, nulli bono aut usui Patriæ sum. Ignava vox est. ad hoc natus, ut sis; & jam studiis, annis, peregrinationibus ea collegisti, quibus sis. Vivit Patriæ Genius, & hunc ipsum nomine & naturâ præfers; cur non in suâ ipsius sede? Sed longior jam sum, quàm liceat. Tu portum, Patriam cense: & hîc quandoque quiescendum. De HANSENIO illo quondam magno ecquid novi? Fecit Genuæ, quod Lovanii, quod Romæ, quod Mediolani; & fractâ ubique tesserâ, ignotus latet aut errat. Mirum ingenium hominis: & in meliori aliquâ Fortunâ nimis elatum & arrogans; in humili nimis abjectum & vile. Vale. A Rubenio, ad quem aliquoties jam scripsi, exspecto. Mediolani, VIII. Kalend. Sext. ∞. Ioc. VI.

EPISTOLA XXXIV. *Mediolani.*

REVERENDISSIMO

AVGVSTINO GALAMINIO

*Sacri Officii Præfecto, & librorum Censori.*

**V**T soleo, imò ut non soleo, molestus tibi sum; quia libellum hunc meum censendum, imò non meum, mitto. Ego latinè scripseram; & hacten-

& hæctenus meus est: Io. AMBROSIVS BIFFIVS amicus meus vertit vernaculè; & hæctenus non meus est. Tu obsecro tanquam meum cense, ut quamprimum censeas: tanquam non meum, si molestus videor. Salve.

EPISTOLA XXXV. *Romam.*

IOANNI DVLMENIO.

**V**Ix libare epistolam tuam cœpi, mi DVLMENI, & obrutam plurimis jam annis imaginem memoriamque distinxì: id est, totum te in memoriam revocavi. Venisses modò, etiam sine Litterariâ illâ tesserâ, amicum invenisses. Nec mirum: jam tum esse cœpi, cùm jure hospitii me Pater tuus devinxit; Vir longiori dignus vitâ, ob Virtutem & Humanitatem. Hanc utramque in te nunc amo; sed Doctrinam observo, quam cultam solidamque litteræ tuæ loquuntur. Bone Deus, primum illico Bonæ Mentis Specimen quàm rarò fallit! Qualis es, talem expectabam: qui calcare virtutis viam cœpit, perveniet. Animus, nisi ignaviâ corruptus, ab arduâ illâ semitâ non defleat. Insistamus porrò, mi DVLMENI, & juncto jam vestigio properemus. Me hîc quidem comitem, ubique Amicum habes; imò verò in occasione Benefactorem. Sic vale, & liberè mihi animum tuum pande. Mediol. vi. Eid. Febr. ∞. Ioc. vi.

EPISTOLA XXXVI. *Amsterdamum.*

CORNELIO PLEMPIO suo.

**E**Go verò te amo, mi PLEMPI, non contemno; nec frigus unquam aut alienatio veterem adfectum meum



meum contraxit. Quî obsecro? nec dedi caussam, nec accepi: imò & dedi, & accepi; quia ita suspicaris. Nubem igitur & nebulam hanc tolle animi nimis delicati: faxo, scriptionis clarum, ut ita dicam, radium sentias, ex intervallo. Sed tollis, sentis: & sensisti olim, profectò, ut mens mea fuit, sine nominis tui la-be aut notâ. Defæcato stomacho Promulsidem meam admitte, epistolam oculo; ludum merum dices, me se-renum in publicâ istâ tempestate morum. Vale. Me-diolani, IV. Non. Quintil. ∞. Ioc. VI.

EPISTOLA XXXVII. *Mediolani.*

*Illustrissimo & Reverendissimo*

FREDERICO BORROMÆO, S. R. E. CARDINALI,

*& Archiepiscopo Mediolanensi.*

**M**IRA res. Sine morbo sum, & tamen negotium mihi cum medico. Ita solent, quos valetudi-nis cura ad strictiorem vitæ normam & regu-lam cogit, ut morbi vitandi causâ, in morbi quasi umbrâ, cum quæsitis malis conflictentur. Sed & hoc expedit, extra periculum, morbi terrore quodam a-nimum experiri, quantum adversus corporis dolores possit. Ad læta & aspera pariter nati sumus; sed nisi pari utraq; animo excipiamus, infelices sumus. Nunc valeo: paullo post corripî ægritudine possum: si rectè valetudine utor, laudandus sum; si fortiter ægritudi-nem sustineo, beatus sum. Itaque ut in omnem me eventum componam, dabo valetudini operam, quâ

F rectè

rectè utar; & exspectabo ægritudinem, quâ animam  
exerceam. Tu verò vale, Ill.<sup>me</sup> & Rev.<sup>me</sup> CARDINA-  
LIS; & vel jam tandem veteris morbi reliquias desere,  
abiturientes. Hæc in lectulo scribo, postquâ pharma-  
cum sumpsi: & scribo, ut absentiam meam excusem.

EPISTOLA XXXVIII. *Vrbinnæ.*

FRANCISCO BARTHOLINO

*S. & Amorem reddo:*

**N**AM amanti Amorem me debere fateor. quid  
scribenti? Scriptionem & Amorem; sed ex A-  
more scribenti. Quid igitur? huic istam præfero?  
haud dixerim: at scire Amorem volo, ut redho-  
stiam. Nunc in hoc tuo serotino, non pura usque sua-  
vitas, sed suffusa amaritudinis vitiosa aura, conjugatio-  
ne quadam mellis & fellis. Nam quòd alueris conce-  
ptum adfectum, suave; quòd celaveris, amarum. Quâ  
enim spe aluisti? quo metu celavisti? Non sic amandus  
eram, quasi durus ad amandum. Pænè in ipso nomine  
naturam meam noscas. Vt PVTEI omnibus; sic Bonis  
Doctis que ego pateo: & utrique isti è facili hoc sinu  
perennem hauriant benevolentia liquorem. Te bo-  
num amor, doctum scriptio indicat: & unum doleo,  
quòd frui utroq; prius non licuerit. Licebit, inquires.  
At non tam commodè, tam promptè. Ab eo enim, &  
sedem fortunarum atque studiorum ex Italiâ in Belgi-  
cam transfero, in magni LIPSI locum munusq; à Prin-  
cipe & Ordinibus vocatus. Magnum intervallum est;  
nec unam infortunii aleam litteræ nostræ subeant.  
Scribemus tamen, & cœptum Amorem jugi officio  
colemus, velut ad lancem ac demensum. Cupio equi-  
dem,

dem, atq; munusculo isto Laconico adfectum meum  
obfigno. Mediolani, IV. Non. Quinct. ∞. Ioc. VI.

EPISTOLA XXXIX. *Madritum.*

V. A. ALEXANDRO ROVIDIO,

*Consilii Italici Regenti.*

**A**VDEO amici interdum causâ, quod non meâ;  
quasi alienum ruborem facilius concoquam.  
nec infeliciter hæc libertas cessit. Equidem, ut  
sic loquar, litteræ, & in iis adfectus tuus suadet; ma-  
gnus ille & promptus. Mehercle præstas beneficium,  
qui sic promittis: & ego, nisi tam beneficâ me ob-  
lstrictum voluntate dicam, parum aut intelligere hu-  
manitatem tuam, aut æstimare amicitiam videar. Ni-  
mis avidi mortales simus, felicem eventum rigidâ ubi-  
que si petitione flagitamus. voto, non lege, fortuna  
vocanda est. Ut Solis favorem nubes & nebulæ ple-  
rumq; impediunt: sic benevolentix vestræ lumen, ô  
magni, exhalantes è vili pectore cupidinis & ambitio-  
nis vapores sive aure. Itaque negotium amici si purum  
& serenum arbitraris, concipio & consigno vota; si  
non, differo aut tollo. neq; enim exigendum benefi-  
cium, sed petendum est: exigit autem, qui pertinaciter  
petit. Vale. Mediolani, IV. Kal. Septemb. ∞. Ioc. V.

EPISTOLA XL. *Bruxellam.*

V. A. IOANNI RICHARDOTO,

*Consilii Sanctioris PRÆSIDI.*

**S**ERMONIS vicem epistola hæc subibit, Am-  
plissime Vir; & quia frontem nunc absens obfir-  
mare

mare posse videor, honestam petitionem calamo adornabo. Ecce, quâ fiducia. Vix gratum me ostendi, & novum posco beneficium. Posco autem, ut sinum pandam, & quæ in proclivi benignitas tua, iterû se effundat. Auctoritate tuâ in Patriam nuper veni; neq; hoc satis: in tuam etiam tutelam. Vocare tibi leve erat, nisi defenderes etiam, quem vocasses. Factum: & sic quod semel petii munus, bis jam nactus sum, cùm denuo turbare rationes meas nescio quis tentasset. Paucis: nisi quietis meæ securitatem acceptam tibi feram, ab erro ab auctore. Fero: nec aliud accepti beneficii promere signum queo, nisi ut libertate utar, & auxilia flagitem. Didici autem accipiendo, quàm felix facilisque petitionis alea sit, cùm honesta ambimus. Quid igitur peto? Ut laboribus meis Liberalitas quoque PRINCIPIS accedat: & cui ingenium debeo, & impendo, ejus jussu venisse videar. Aliter qui possim? A CCCCLX aureis, ad CC. veni; qui hoc potissimum nomine cari, quòd à Patriâ persolvantur. Ut in re ego meâ taceam, causa Litterarum agenda est: quæ nisi hoc splendore commendentur, jacent. Juventus ipsa eas sectatur artes, quibus Professor magnus est; imò præmium optat Litteris esse, quas docetur, ut sperare possit, ubi didicerit. Sic igitur in examen trahuntur Professoris Fortune: & quanti Litteræ sint, stipendium indicat. Aliæ quidem Disciplinæ ac Scientiæ extra Scholam pretium, imò lucrum, habent; in aulâ & curiâ æstimantur: nos Philologi, quidquid sumus, in pulpito aut museo sumus. Hic vocis stilique ultimus fructus, ut pulsâ egestate, illam nostri partem colamus ornemusque, quâ ad exemplum sumus. Breviter: hic fructus, ut magnos alios faciamus, ipsi parvi; nisi &

magni,

magni, quia faciamus. Sic cogito, imò sic vivo. Nam superflua omnia contemnere, ac panè fastidire didici: ad usum, non ad pompam divitias habere. Vsum Natura, pompam cupido docet. nemo felix, qui cupidini morem gerit. omnis vitæ formula & modus à naturâ est. Et quis ille *MODVS*? *primus, habere quod necesse est; proximus, quod sat est.* Verè mehercle & acutè: & quidni usurpem? Nam viro Philosopho, & in Litteris occupato, opes parandæ, ut vivere possit; deinde, ut commodè vivere: nisi enim commodè, functiones omnes ingenii languent atque sterilefcunt. Non potest tranquilla aut fœcunda mens esse, quam curæ aut angustix exercent rei familiaris. Vt qui cum onere incedit, morosa format vestigia: sic tenuitas vigorem omnem retardat. Quid ergo est? Fortunæ meæ calculos posui; ratiunculam subduxi; quia emolumentum illud tituli Historici apud Mediolanenses deliquit. infra sumptus hîc jam stipendium est; & pluris, quàm doceo, vivo. De cc. aureis domicilium, mensam, vestem paro; supellectilem, & bibliothecam instruo; epistolarum cum viris doctis commercium alo; & plura familiaris munerisque onera sunt: quî sustineam? Aliunde exigua subsidia, rebus per longas istas Patriæ miserrias plusculum attritis. Pater enim, Vir optimus integerrimûsque, inter scopulos hostilis violentiæ jactatus sæpius, peccare in fortunam, quàm Regem aut Religionem maluit. Sed hunc ego cothurnum jam sepono: de me & rebus meis loquor, quibus patria se calamitas admiscet. Opem imploro PRINCIPIS mei, te interprete, imo te patrono, ut honorarium dignum munere obtineam, & istis Litteris. Ipsi PRINCIPIS quid gloriosius, quàm cum alibi liberalis sit, in re quoque

Seneca  
epist. 11.

Litterariâ esse? amplecti benefico affectu Professo-  
rem, quem suum iterum facere exteri velint. Invitor  
quotidie litteris, atq; increpor, quòd cum damno dis-  
cesserim. Ego verò rejicio, quibus urgeor, præmia,  
ut & hîc sperari posse ostendam: liberalitatem repello  
exteram, ut patriam impetrem. Fac tu Ampliff. DO-  
MINE, & secundo isto beneficio, quem tuum fecisti,  
vindica; quem advocasti, firma. Non minùs PRINCIPI,  
quàm ORDINIBVS placere cupio: non minùs PRINCIPI,  
quàm ORDINIBVS, debere. Vt placeam, ut debeam, te  
per Litterarum nomen rogo. Lovanii, Kal. Septem-  
bribus, ∞. IOC. VII.

EPISTOLA XLI. *Bononiam.*

IOANNI BEMBDENO *suo.*

**C**ONSILIVM à me petis; & honestè quidem, quia  
in re honestâ: ut studia ordines, annos occupes,  
& locum votis assignes. O te bonum & prudentem,  
qui serio, quod in manu, agis, & momenta expen-  
dis! Sed me felicem, cui te ipsum fidis, & studio-  
rum, id est, vitæ summam. Certius amoris signum da-  
re non potuisti. Ad rem igitur. Triennium, ais, Gale-  
no & Hippocrati datum: abundè verò, si bene datum;  
imò, si non malè. Sed bene datum esse opinor, atque  
adeò scio, sive ab ingenio & industriâ tuâ, sive ab oc-  
casione, quâ usus. Patavii fuisti, id est, in eâ urbe, quæ  
peritissimos Medicos habet, & brevi quoque tempo-  
ris spatium facit. Hactenus Bononiæ es, quæ & ipsa pro-  
perantibus ad Æsculapii sacra facilem viam sternit.  
Cur igitur diutius sis, si bene hactenus fuisti? si jam  
ipsa tua studia maturuerunt? Facere deinceps domi  
poteris,

poteris, quod in Italiâ; cum lucro istic, quod hîc cum sumptu: exercere quod didicisti; discere apud te, & à te, quod exerceas. Ego nemini suadeam, ultra triennium à Patriâ, nisi deserat Patriam, absit. Perit amor Penatum, pereunt amicitia, usus ipse & modus agendi vernaculus. Itaq; consilii mei summa hæc est, remeare ad Larem; experiri, quid profeceris; & spes Italicas constanter abjicere. Ab Amico dictum cense: quia difficillimum reor, ad ista, quæ tu concipis vota, pervenire. Quòd si tamen aliæ rationes vincant, suadeantq; moram, indica: omnia tuâ & VELTWYCKII causâ faciam, quæ in meâ potestate. Re & operâ damnare consilium paratus sum, ut feliciter maneat. De novo titulo & honore, quo auctus sum, non tibi Fama imposuit. HISTORIOGRAPHVM hujus Provinciæ me REX PHILIPPVS scripsit. & mox operi admovebo manum. In antecessum Specimen edo, *Dissertationem Historicam De Rhetoribus & Scholis nostris Palatinis*. Epistolarum *Secunda Fercula* Francofurtenses impressere: à Nundinis videbis. Vale, & me serio ama. Mediolani, VII. Eid. Quinctil. ∞. Ioc. III.

EPISTOLA XLII. *Madritum.*

V. A. MICHAELI LANZIO,

*Consilii Italici Regenti.*

**E**Go profectò nescio, quibus tandem verbis concipere tibi gratias possim: qui non promovere tantum spem studiorum meorum, sed ornare conditionem voluisti. Quid enim? quasi non expleret amoris tui votum Historiographi titulus, illum  
Senatui

Senatui Mediolanensi à Secretis, prompto & liberali suffragio mihi molitus es, non ambientem. Molitus inquam, es, & sic quasi contulisti. meruisse enim hunc honorem videor, quia & nunc possidere, si merui. Sic integrum beneficium tuum est, etsi impeditum. Impeditum autem, quasi illustrius, magisque ad meum Genium, publica itilo promere, quàm secreta silentio condere; eloqui, quàm mutire. Ego tamen curiale hoc munus non vilipendo, splendidum in hac urbe, & maximis dignum ingeniis: imò potius æstimo & suspicio, quia obtinere beneficio tuo potui. Sed hoc alterum præfero, quod item sine tuâ operâ non accipi. Itaque ut magis me obstrictum habeas, debere me tibi profiteor, quod accipi, & quod non accipi: atq; ita planè gratiæ succumbere. Sed Viro magno, & in istâ dignitatis luce posito, debere, pudor non est. Tu me ama, & fove, Perillustis Regens, quem nuper affectu, nunc beneficio tuum fecisti. Mediol. Prid. Kalend. Sextil. ∞. Ioc. III.

E P I S T O L A XLIII. *Bononiam.*

CURTIO MAGHINO *suo* S. D.

**A**MICA & amœna tua scriptio, mi CURTI: quam in utrâque epistolâ avidis oculis & saliente animo delibavi. Quid dicam? ipsum amoris mei ignem novis radiis accendisti; illum jam pridem (cur negem?) calentem magis, quàm lucentem. A primo enim congressu & sermone amavi optimis artibus studiisq; cultum ingenium tuum; sed parcè tamen amorem ostendi. Id nunc facio, & patefacto animi mei sinu, sine velo aut fuce testor me amare. Purus enim  
affectus



affectus meus est, & ipsâ secreti morâ penitus defæcatus. Repentina & ostentata Amicitia per omnes ambitionis rimas in auram solet expirare & evanescere: Ambrosia, dum nova & recens, postea vappa. Ecce, Vinum & Amorem juxtâ habeo. Austeritas quando tempore edomanda est, & usum protollit; vis Vini, & pretium crescit; vis Amoris, & pretium crescit. Nihil jam turbidum, nihil noxium: minùs etiam voluptas quaritur, quàm ipsum veræ Amicitix alimentum ac robur. Itaque mora ipsa, vera amoris regula est, ut si quem diu amavi, rectè amasse videar; semper amare velim, quem rectè cœpi. Te autem & diu, & rectè, & æternùm; quod spondeo, & mihi à te quoque cupio, etsi scio præstari. De reditu ne ambige. Quamprimum (etsi ægre avellor) desinam

---mirari beatæ

*Fumum & opes strepitumque Romæ.*

Tum verò & te, & TITIVM, cui me totum pandam, & nobiles illos, adque magna surrecturos adolescentes, otiosè complectar. Interim illum & hos saluta, & Vale. Romæ, Prid. Kal. Maii. ∞. Ioc. III.

EPISTOLA XLIV. *Augustam Vindel.*

V. A. MARCO VELSERO,

III Viro Præfecto.

**M**ISSÆ nuper Inscriptiones CANTONI; & accepisse te opinor: nunc litteras hæc ad WOWERENVM diligentix tuæ commendo. Aronæ (oppidum est ad lacum Verbanum) cum Illustrissim<sup>o</sup> Cardinali BORROMEO sum; uno verbo, deliciis septus

G otii

otii Litterati. Divertit enim non minùs libenter Magnus hic Mæcenas ad Musarum amœnitates, quàm ipse Puteanus, id est libentissimè. De Litteris ingeniiſque sermo continuus, sive lacum navigamus, sive per colles spatiamur, sive sub tecto confidemus; & ubiq; tuum quoque miscetur

*---magnum & memorabile nomen.*

Etiam venationes addo; sed illas Plinianas. Magno enim studio non feras, sed Litteras fugitivas indagare cœpimus, per vicina Alpium oppida; marmora, lapidésq; excutere, quos indocta barbaries impiè dispersit. Nec incassus tamen hic conatus. Inscriptiunculas etenim plusculas è latebris oblivionis eruimus, quas cum libello Amerinarum Antiquitatum Illustriss. Cardinalis, cùm primùm Mediolanum reversus fuerit, transmittet. Magna & æterna ab hoc Antistite res Litteraria speret, imò exspectet: brevi autem COEMITERIA antiqua, æri inscalpenda, Notisq; illustranda. Pro libro, etsi nondum accepit, gratias habet. Venetiis fortassis hæret: quâ culpâ? LIMAVERII diligentiam certè non culpo: te amo, & Salvare jubeo. VII. Kal. Sextiles. ∞. IOC. II.

EPISTOLA XLIV. *Pragam.*

. IO. WOVWERENO V. C.

**I**VCVNDVM hoc nostrum de Amore certamen, doctissime WOVWERENE. contendit uterque, vincitur neuter. Ego tamen videor palmæ propior; quia faciliùs invenio in te quod amem, quàm in me, quod amore dignum exhibeam. Amor autem à cupidine

pidine ejus nascitur, cujus inopia est. A cupidine, inquam: nam qui invident, non appetunt. Atque hoc inter invidiam & æmulationem interest; quòd invidus alienam laudem infra ignaviam suam depressum eat; æmulus, humilitatis suæ pœnitens, seipsum ad alienas laudes nitatur efferre: & quo fructu? ut ille pœnam, hic stimulum sentiat. Iungi autem cum æmulatione Amor potest, cum iuvidiâ non potest. Nam etsi utrobique paritatis affectatio est; paritas autem Amoris conditio: non potest tamen amicus esse, qui seipsum potiùs, quàm amicum quærit. Sed seipsum invidus quærit, æmulus amicum. Quid igitur est? æmulationem admitto, ut Amorem profitear. imò quid est? thesaurus amœnissimi ingenii tui Amorem meum auget, etiam in meditullio modestiæ defossus. Miraris verò, *quæ Gratias & Veneres litteras mihi dicent.* Ego certè Gratias nullas, nullas Veneres habeo, nisi tu submittas. quid enim aliud purissimus ille stilus tuus spirat? Sed abstineo: tuas tibi voces non reddo. In Italiam quòd redire decrevisti, ô gratum! fac obsecro, & erranti animo sedem aliquam elige, te & studiis tuis dignam. Vbi autem nisi Romæ? ubi ad optima quæque ingenium ipsâ loci urbisque memoriâ excitatur. Suadeo, voveo: & utrumque ipse nunc Illustrissimus Cardinalis BORROMÆVS, doctissimus Princeps,

*Qui solus tristes hac tempestate Camœnas  
Respexit.*

Suadet, inquam, & vovet, ut venias, ut jus hospitii apud se capias, ut dies plusculos subsistas. Veni igitur, & *viam*, ut Catullus loquitur, *vora*. Notas meas

Appulejanas, quas petis, in adventum tuum, nisi aliter jufferis, servo. Romæ (an Aronæ?) scribo: vide quàm pænè Romæ; ubi cum illustrissimo Cardinali sum, in læto pinguiq; otio; & lacu, fontibus, silvis fruor. Post septimanas aliquot Mediolanum redibo: fac sis aliquid à te litterarum, aut te ipsum inveniam. XII. Kal. Sextil. ∞. Idc. II.

EPISTOLA XLVI. *Lovanium.*

V. A. IVSTO LIPSIQ,

*Serenissimis Principibus à-consiliis.*

**Q**VAM graviter me pertinax dysenteria affligerit, nuper ad te scripsi; sed in crepusculo etiam, et, ut ita dicam, ditione morbi. Nunc iterò breviter; &, ut humanæ conditionis miseriam contempler, meam indico. Vi torminum & pertinaciâ subactus, imò confectus, pænè spirare desieram; & jam in vivo una linea, & præfens imago mortis. Sed imago: ad vitam & valetudinem redii; & ne sine fructu decubuerim, ad utramque bonam. Meum me morbus fecit. Elavi non corporis tantùm, sed animi noxias fèces, quæ à curis plebeiis adherent, & inficiunt. Nunc igitur erectum me cense, & humilium querelarum desuisse. Omnia ad votum non eunt? votum ipsum corrigam. aptabo sorti animum, animo si non licet sortem. Cùm cogito, homo sum; & homines etiam ubiq; inveniam. Quòd si aliò Deus aliquando vocabit, sequar: mecum certè ubique ero. Itaque ubi sum, litasse felicitati videor; & postquam æstum omnem desiderii sedavi, nihil in Fortunâ invenio quod accusem.

Bone

Bone Deus, quàm validè mentem cupiditas lancinat! & quàm in propinquo homini opeshonorésq;, si possit contemnere. Novum tamen magnúmque à Confiliis titulum tibi gratulor; an potiùs patriæ? sanè vires hæctenus ad rem feliciter gerendam aut componendam non defuère; sed modus. Hunc suggeres, & in re tam publicæ felicitatis viam omnia diriges. Conatus quidem es hæctenus: deinceps facies, quia cum auctoritate. Quem misisti librum, vidi: vidit & Cardinalis BORROMÆVS, aliique. incredibile, quem plausum invenerit iteratus hic affectus Pietatis. Sed quis ille auculeus post tam dulcia? Apes imitaris: favos stipas, atque etiam defendis. Ego quid faciam? De ERYCIO Nominè Syntagma scripsi, Orationes congeffi, & jam ad Historiam stilum transfero. Genius faveat: tu quoque fave, Vir Amplissime, & Vale. Mediolani, Post. Kal. Septembr. ∞. lxx. vi.

EPISTOLA XLVII. *Bononiam.*

C. V. ASCANIO PERSIO,

*Græcarum Litterarum Professori.*

**B**EASTI me tam amicâ & elegãti scriptione: quam ego ob amorem jure æstimo; ob elegantiam jure laudo. Quis, quantúsque sis, publicâ Famâ; quis in me, nunc ex teipso intelligo. Fallere me Fama non potuit: minùs tu potes. Itaque ut veram & singularem constans illa virtutem tuam doctrinámq; omnibus: ita affectum tu mihi prodis. Quid ego? reddo affectum, verum pariter & singularem. Reddo etiam scriptionem; sed amicam magis, quàm elegantem. Id

profiteor, & ex animo dico; ut de elegantia cedere  
 tibi velle intelligas, de amore cernere. Iter meum  
 invitatus examino: peccavi; imò non peccavi. & an bre-  
 viter me purgo? In cultum externum non admo-  
 dum curiosè inquiri, qui verè & ex animo amat: nec  
 in ipsum vultum aut faciem, qui animi pulchras do-  
 tes. Itaque quòd te non viderim, leviter fero; quem  
 non visum novisse tamen videor, quia amo: vidisse,  
 quia novi. Quòd etiam visus non sim, benignè inter-  
 pretaberis, incitaturus excusatione desiderium meum  
 ad novum iter. Quid plura? Videri gestiam, cùm vi-  
 dendi cupidinem tu remittes. Ita enim homines vitio  
 Amoris sumus (si tamen vitio corripì honestus Amor  
 potest;) ut negata sive neglecta magis appetamus.  
 Vale. Mediolani, Post. Non. Sextil. ∞. loc. III.

EPISTOLA XLVIII. *Pragam.*

Io. HOLLANTIO *suo* S. D.

**V**IGET memoria, viget amor tui, mi HOLLANTI,  
 etsi tacito jam aliquamdiu affectu, & velut silen-  
 tiosacri ignis. Ego tamen ad binas tuas respon-  
 disse me scio: non provocasse fateor. Et quid si etiam  
 meas ultimas exceperit casus aliquis, suppresseritque?  
 Solet fieri: & culpa non semel obnoxium aliena me  
 culpa fecit. Prage te nunc esse, id est, in quiete, gaudeo:  
 sed doleo, sic nunc iterum solum esse, optimâ suavissi-  
 máque vitæ consorte in ipso Amoris vèrè amissâ. quid  
 autem? etiam luctu æger, adultum jam dolorem alis?

---quin tu jam vulnera sedas,

Et tollis miserum luctu caput? Omnia functa,

Aut moritura vides.

Ille

Illam ipsam, quam plangis, virum te fecit: fac, virum etiam reliquerit, id est, fortem & constantem. Nec amplius dico. Ego esse & docere Mediolani pergo, auctus Historiographi apud Insuabres titulo, auctus etiam prole. Honores vides, sed & onera. Illos & hanc fero: & cur non transfero, quod tua jam iterum vota trahunt? Deus hominesque negant. Mihi satis, si te videre iterum atque frui dabitur, & ad bonam velut ætatem redire. Suaves anni, quibus unam quandoque fuimus, vicimusque: & loci, in quibus. Illi fluxere, hi remoti: utrosque nunc cogitatione ipsam atque desiderio usurpo: te semper, mi HOLLANTI, quem æternum amo. Vale. Mediolani, VII. Eid. Septemb. ∞. Loc. v.

EPISTOLA XLIX. *Madritum.*

PETRO DE SORIA, *Medico Regio.*

**D**OLEO mehercle, quod nunc tandem post beneficium acceptum te compellem, quasi hoc uno ad scribendum excitatus. Virtuti & Doctrinæ tuæ stili debebam officium: provocare amorem, non reddere. addam etiam? conciliare ipsum mihi

----- Ασκληπιόν

Αρωα παντοδαπῶν ἐλελίθηρα νούσων.

Sed hic erat pudoris & divisi animi mei morbus; negligere aut differre suavissimæ Amicitiae felicitatem, cum tamen ambirem. Premitur enim ipso etiam neglectu desiderium, imò accenditur, cum voluntatem pudor retardat. Tu autem correxisti pudorem meum tam insigni favore, & animi mei morbum pepulisti, non pharmaco, sed beneficio; & in hoc tamen meus jam Æsculapius, imò Apollo. Perge amare, perge juvare, curare etiam, ubi opus. LUDOVICVS SEPTALIVS te æstimat observatque, non enim jam dicam, amat; leve

leve verbum est; )imò amat eorundem studiorum; sed  
 æstimat Famâ clarum, æternitate dignum. Mediolani,  
 Kal. Quintil. ∞. Idc. III.

EPISTOLA L. *Patavium.*

R. V. DOMINICO RVDOLFO.

**T**E verò *δέσση καὶ ἀμβροσία τρεφόμενον*, intimo sensu amo.  
 Ecce manant elegantissimę scriptiõnis tuæ rivi,  
 & suaviter me imbuunt. Planè indigebam isto  
 rore. Nam hæctenus nescio quâ silentii morâ aridus,  
 & sic infœcundus, vivum quidem Amoris semen, sed  
 sine fructu habui, & pectore velut obstricto pressi.  
 Nunc ecce

*Solvitur acris hiems gratâ vice veris Ἔ Favoni.*

Nam tu Ver meum, tu Favonius; & fœcundum scri-  
 bendi pruritus inferis. Sed ante fructum flos est; pro-  
 mitto potiùs ubertatem, quàm præsto. Planè provoca-  
 ri velut per gradus stili debet vigor; ut paullatim se af-  
 fectus laxet. A primo fonte angusti & ignavi rivuli  
 sunt, paullatim se diffundunt: sic in omni limine tardi-  
 or aut etiam verecundior scriptio est. Neque tamen  
 ad ambitionem quamdam aut pompam litteras deinceps  
 daturus sum. *τὰ κομψὰ τὰυτὰ ρημάτια καὶ ἀσικὰ οὐ μετέδωκε.*  
 Suavis libertas pro copiâ erit, & candor fastum exclu-  
 det, errorem excusabit. Tu Amoris *δέσση καὶ ἀμβροσία* me  
 porrò imbue, & Vale. Mediolani, VIII. Kal. Aprilis.  
 ∞. Idc. VI.

EPIST.



## EPISTOLA LI.

*In Eburones.*IOANNI PVTEANO, *Fratri meo.*

**B**REVITER ad me scribis, mi Frater, non verborum quidem compendio, sed rerum. Volo argumentum tibi fecunditate quadam tumeat, & in scriptiois illo campo non flosculi tantum, sed spicæ quoque surgant, & flava illa Ceres. Imperfecta oculorum voluptas est, nisi animum pascam: tu præter verba, res quoque repræsenta, ut pondus epistola habeat. Ut non satis pictori penicillum ducere, & colore tabulam linire, nisi figuram aliquam aut historiam adumbret: sic nec tibi esse debet, epistolam explere, nisi dignam Lectione materiam complectaris. Hoc ages igitur; & si aliud desit, de scholâ, præceptoribus, ratione studiorum scribes: quibus horis stiliolum, quibus memoriam exerceas: quos auctores evolvas. Varia Gymnasii, & Musarum negotia sunt. Ad altiore[m] classem translatum te video, nec sine laude. Sic perge, ingenium & simul animum cole, cum doctrinâ virtutem. In cursu quidem es, sed eundem ad metam, imò properandum: ut collecto umbratico illo pulvere, in publicæ Academiæ lucem transferaris.

*-----major rerum tibi nascitur ordo.*

Librum quem misi, accepisse te scribis, cur non & legisse? in hunc certè finem misi. Fac, & vale. Lovanii, v. Eid. Febr. ∞. Ioc. VIII. Præceptoribus tuis salutem à me dices; item clarissimis viris, ORANO & CHOKIERIO.

H

EPIST.

## EPISTOLA LII.

*Bruxellam.*

IACOBO MARCHANTIO.

**A**NIMVM mihi in bonos doctósque pronum esse, hoc fateor; imò gloriór. Magna adminicula virtutis, exempla sunt: in primis quæ spirant etiam, & viciniâ suâ excitant, & sanctâ quadam auctoritatis luce. O te talem! quem nisi amem, tum ab ingenio meo abeam, superbus atque improbus sim. Nomen illud mihi tuum, & doctrina in pretio fuere, Italiam antequam peterem. quid, postquam redii? postquam ipsum te vidi, & audiui? confirmavit opinionem meam præsentia illa tua & sermo; ac planè didici, magnarum virtutum certissimum modestiæ signum esse; sive, quam cum laude nomen tuum loquitur, NOTAM. Quid plura dicam?

*Te amare par est, laudare non est necessarium.*

Noſti Elogium, & optimo jure ab Historiâ redit ad Auctorem. Vt ipse aliquo tibi in numero esse possim, voveo. Vale. Lovanii, Prid. Kal. Nov. ∞. Idc. VIII. Litteras ad LERNVTIVM eâdem viâ remittam.

## EPISTOLA LIII.

GVILIELMO HVYSMANNO *suo.*

**L**ITTERARVM hæc cessatio jam, opinor, à te vapulat; sed innoxia. Nam ut indolè meum noris; & audebo dicere: quem amo, non videor silendo posse offendere. addo: si verè & purâ flammâ amo; item, si ex causâ silco. atque hæc excusatio pondus apud te meritò habeat: tamen alteram vis? Abfui, & peregri-

peregrinatus sum. Tūne; inquires? ego nā, mi HVYS-  
 MANNE: & ne pusillum iter putes, per Italiam panē u-  
 niversam. Novos amicos scripsi, veteres non delevi:  
 numerum auxi, & adscripsi, quos secundo velut or-  
 dine colo: sed te, ut feci, primo, cum illis, quos tu no-  
 sti, primis. Neque enim fortunam ego, aut divitias in  
 amicitiaē sacro specto; sed pectus, & candentis animi  
 dotes. Crede, & suspicionis omnem nebulam pelle,  
 quæ affectum premit. In Epistolarum FERCVLIS SE-  
 CYNDIS, quæ vulgata, monumentum habes, & amoris  
 clarum signum: habiturus etiā, si BELLARIA ponam.  
 Dissertationem Historicā De RHETORIBVS, & SCHOLIS  
 Mediolanensium edo, quam mittam. Inscripti  
*Historicam*, partim ob argumentum, partim ob titulū,  
 quem à Rege nuper accepi. Res & spes meæ crescunt;  
 voveo ut & tuæ, mi HVYSMANNE. Mediolan. iv. Eid.  
 Quinct. ∞. Id. iii.

EPISTOLA LIV. *Antuerpiam.*

IANO SCHEPPER O suo.

**O** Ignem ingenii, & simul amoris tui! mi SCHEP-  
 PERE. in Epistolis Carminibúsque utrumque  
 vidi, & vehementi quadam aurâ adfatus sum.  
 Breviter: ingenium admiror, Amorem amplector, ac  
 te vicissim amo. An etiam laudo? jam feci, & tu in *Iu-  
 ventute laudatâ* ille es, quem

--- nequeo monstrare, & sentio tantum.

Ille inquam, qui non encomia mea tantum, sed vota  
 quoque exples de Patriâ linguâ: ille, sermone indige-  
 nâ eruditus,

--- aptusque bibendis

*Fontibus Aoniâ.*

Bone Deus! sic te scribere, & in publicâ corruptelâ Genium aviti eloquii adfertum ire? Belgicę jam Musę esse incipiunt (perge modò:) tu Apollo; nec lirâ solùm, sed arcu.

*Φοίβω γὰρ ἔ τόνον ἐπιτρέπεται ἔ ἀοιδή.*

Monstra ista vides, quę vagantur, peregrinarum vocum, & noxio halitu omnem inficiunt puri sermonis florem? figenda sunt, tollenda sunt, & à doctâ tuâ artificęque manu.

*ὼ ἢ Παῖνον, ἰεὶ βέλως· εὐδύ σε μήτηρ  
Γείνα τ' ἀσαστήρα.*

Imò te vindicem vernaculę libertatis mater genuit, si te ipse vindices. Quibusdam pulchrum fuit, cùm liberi esse vellent, servire linguâ: nec puduit sordido eloquio Patrię calamitatem profiteri. Sed tu te cogita, & sermonem, quem Patria dedit. Hic liber, & tu magnus eris, si animum tantùm adjeceris, esse. De modo, nos quoque videbimus, & curabimus, ut sine repagulo aut jugo famę decurras spacia,

*Qui facis in par-vâ sublimia carmina cellâ.*

Fortunę etiam præmiapaullo pòst erunt, cùm diffusum nomen. Sed mora aliqua, & gradus quoq; sunt, & maxima quęque ingenia è profundo emerferunt. Ita, è profundo, atque sic originem à se habent. Vides altissimas illas arbores, quarum umbrâ delectaris? ab ipsâ radice, imò ab ipso semine creverunt. Insitio breviores ramos facit: pariter cùm fortunę, ut ita dicam, trunco animus inhæret nititurque, solo trunco magnus est; & exiguę dotes in conspicuo, quia in sublimi. Ex humili igitur, & ex ipso terrę sinu maxima, etsi tarda proceritas; & qui sic crevere viri æterni, firmo quodam robore nominis sui ramos spargunt, fructus eruditionis. Nec exempla coar-cervo.

cervo. Ipsum illud divinum Homeri ingenium, quàm abjectum, quàm contemptum fuit! pænè ludibrium paupertatis. Sed (ô vim eruditionis!) quò evasit? Musas ille, etiam invitâ Fortunâ, invitâ Grâciâ, coluit; genio morem gessit, ducenti ad æternitatem. Fortunam eandem, Grâciam esse Belgicam puta, & nasci hîc quoque aut fieri Homeros posse. Quid dicam? semina in te video, sed producenda. Confide, fiet; & rorem benignus aliquis Zephyrus adspirabit. Adero ipse post paucos aliquot dies, & re, non verbis agam. *Laudationem* meam à te verti, equidem gaudeo; vel Iuventutis caussâ, quæ Belgicâ istâ veste ornatior prodibit. SANDERIVS & WANNEMAKERVS insigniter te amant: redama. In me utrumque illum invenies, id est, amorem & candorem. Vale. Lovanii, Postrid. Kal. Iunias, 100. 100. VII. In Elegiâ tuâ non sine rubore laudes meas lego.

EPISTOLA LV. *Mediolanum.*

PETRO CANTONIO I. C.

SINE culpâ meâ filii: in ipso Sigéo fui, sed invitus. Amorem ego ut remittam, aut memoriam tui? absit. In pectore mihi CANTONIUS, imò in ore est; & nunc absentis desiderio torqueor. Amicum enim te animo habui, iudicio colui bonum, doctum, humanum inter paucos, velut gemmam inter saxa. breviter dicam: virum

*---mores veteresq; nosq; tenentem,  
Multorum veterum leges, divumque hominum que  
Prudentem;*

quem Themis suum, Antiquitas suum, imò Elegantia

suum scribit. Ego autem triadem istam in te adire, & amare videor, pænè à moribus studiisque ævi hujus fugitivam. Absint igitur deliciæ querulæ: amavi, etsi non scripsi; imò non scripsi, quia amavi. Fiduciâ enim istâ uti apud te licuit. addo etiam? peccare hoc peccatum licuit, cui necessitas adjuncta. Iter meum cogita, Patriam, Munus: & facilè dices. Nam primitiæ istæ, meræ tricæ fuère, & meræ moræ; faciliusq; animum, quàm scriptionem ad vos misi. Mehercle facere vos amicos non debui, aut non deserere. Hem verbum! corrigo, imò expungo: non enim deserui. Absens vester sum, vobiscum loquor, & loquar, calamam quodam affatu. Sed isthuc me rediges, & expostulabis, jam fieri debuisse: imò isthuc ego redeo, & excuso, non potuisse. Nemo fructum à radice exigit; sed expectat, cum palmites funduntur, cum flos aperitur, & benignitas anni explicatur. At tu fortassis arborem me dices, & jam maturuisse plenis ramis. nescio: in me tamen jus Natura habet, quæ novæ transplantationi hornam sterilitatem imperat. Sine radices firmem, vires colligam; fœcundus ero, & copiâ mæ litteræ evilescent. Inscriptiunculas libens vidi, & delicias interpretatus sum, ab illâ vrbe, & ævo. Nostra tellus non sic parturit; ossa fodienti aut cadavera reddit: & ubique aut bellum, aut ejus imaginem videmus. De REPENTINO, qui Manlio monumentum posuit, non sic repenti potui. Sed ut scias & me amicum esse; cum tuis illis molestus sum, & Epidigma urgeo: prodeat. Edo *Laudationem* nostræ Juventutis: habebis tanquam Belgæ, & me amabis. Vale. Vxor mea tuæ salutem reddit, & fœcunditatem precatur. Lovanii, Postrid.

Kalend.

Kal. April. ∞. lōc. VII. Alexandrum meum tibi commendo.

EPISTOLA LVI. *Bruxellam.*

CAROLO MALINÆO V. A.

*A--Conſiliis Maritimis.*

**E**TSI jam vidiffe te LAUDATIONEM meam opinor; tamen exemplar mitto, ut à meâ quoque manu habeas. Si non libro, ſaltem affectu placebo: & admittes librum, quem affectu comitor; affectum, quem libro velut teſtor. Equidem ut vidi te, amavi, & altiori affectu complexus ſum; imò priuſquam vidi. Sed crevit ab adſpectu ille cultus, atque adeò à ſermone: & videre continuo velim; poſtquam audivi te virum prudentem, ſimulque doctum inter paucos. rapit me genius in admirationem tui, & altioris in te mentis vim lucemque eſſe dicat. Itaque publicas virtutes publicè; ſi quid divini latet, imò quia latet, privatim veneror. Nunc laudationem iſtam, ſi non videris: & anteaetam ætatem tuam cogita. Encomia ſunt, quæ olim habuiſti, nunc exprimis; & quibus ego animi tui florem roburque, repræſentaffe videor. Longum utroque fruire, & me ama. Lovanii, ipſis Kal. Maij, ∞. lōc. VII.

EPISTOLA LVII. *Gandavum.*

R. V. CORNELIO MARCANO.

**R**EBUS tandem meis compositis, & ſede firmatâ, ad amatiſſimas tuas litteras reſpondeo. Nã ego penè accinctus eram, ut poſtliminio in Italiam irem

irem, sedem rerum ac fortunarum transferrem. Bononienses vocaverant, & ingentem in Eloquentiæ hæc studia meamque operam affectum prompserant. Neglexi, aut recusavi, Principe nostro sic volente, & amicis. Scio te quoque velle, qui insigniter te amicū ostendis tam insigni scriptione. Verè illices litteræ tuæ sunt; imò verò flammulæ sunt, & hunc animum meum amore tui accenderunt. Tu verò novam faciem Musam jungis, id est, novum ignem. Hem! non amo, sed ardeo: & in istâ Tragœdiâ latini cothurni sublimem majestatem video, æmulam Antiquitatis. quæ ista, per Deum immortalem, altum furentis ingenii aura est? Equidem admiror: sed ævo & patriæ gratulor, quæ te sibi nobisque dedit: Musam veneror,

*Quæ docuit magnūque loqui, nitique Cothurno.*

Ergo his deliciis, te promo, deinceps etiam fruemur. Legemus & spectabimus hunc divitis ingenii tui censum, gazas Tragicas, & Apollinæ planè linguæ. Fac, & secundam scenam typos esse cense, quam absentes quoq; spectent. Mihi de Luxu loqui, infauftū pane fuit. Sic vivitur. COMVM sive PHAGESIPOSIA nunc edo. Somnium est, & per ludum saltem audeo Philosophari. Quia in orbe nostro non licet, apud Cimmericos, id est, apud eos qui nusquam sunt, luxum convivalem persequor. Videbis. SANDERIVM & WANNEMAKERVM magis etiam tuâ causâ amo, & huic EPVLONEM tuum ferendum trado. Vale, & amantissimum tui ama. Lovanii. Kalend. Iuliis, 6. Id. VIII.

EPIST.



EPISTOLA LVIII. *Bruxellam.*

MAXIMILIANO PLOVVERIO,

*Viro Nobili & Amico.*

**V**IDE, quàm ægre sermonibus & consuetudine tuâ caream, Mi Frater: quasi pridem abieris, scribere incipio; & quem pedibus comitatus non sum, calamo sequor, & animi igneis quadrigis. Verus amor hunc ardorem habet. Verus, id est, noster; ille ab omni furo & fraude alienus. Vxor mea à puerperio magis magisque robur sumit, & jam quod ego volo, vult (sic morigeram habeo) manere. Taceo Patriam, & quæ Patriæ adjuncta: te frui suave est; suave etiam, Amicum jam majorem sacro nexu habere, quem maximum habui. Accedit cumulus adfectui, cui addi nihil poterat: & jam magis amo, quem non amare irreligiosum esset. Quod fecisti, beneficium est, & nos accepimus: quia in tuum nomen filiulus meus per sacrum fontem adoptatus. Filium alloqui aut compellare non potero, nisi & te nominem; non amare, nisi & te amem. O sanctum vinculum, quod religione nectitur, quod Deus ipse firmat atque roborat! Ergo amici jam æterni sumus: quia Christiano hoc officio, fidem etiam amoris sacram fecimus, sine furo aut nævo duraturi. Fusum, peculiari ritu & arte Baccho sacrum, cras mittam, ut vini stamina per ludum atque etiam fraudem, sed sine fraude, verses. Feminina hæc arma sunt, & cum dolo, ut ingenia solent. Experiantur viri, &

*---fufis mollia pensa**De volvant.*

I

Vale.

Vale. MAXIMILIANVS tuus pro nomine sexum habet; masculus est, id est, robustus. Vt animum ingeniũmque tuum referat, summum meum votum est. Lovanii, iv. Eid. Iun. ∞. Ioc. viii.

## EPISTOLA LIX.

V. A. BALTHASARO ROBIANO,

*Supremo Belgicæ Thesaurario.*

**R**ESPONSVM tuum pro beneficio habui; cui & pretium excusatio adjecit. Quicquid a te, opportunum est; & cum negotia tua maxima, quia publica; mea ista & exigua sine vitio aut damno differantur. Vtraq; expendi, & moram meis esse patior, ut publicis demã. Vrgere apud tam benignum, inhumanitas sit: & quod ante omnia æstimare debeo, consecutus sum; annuere voluisti. In amici tamen causã liberior esse audeo, quam militiæ ratio publicam velut facit. Vt onus est, non à te solo pendet, aut libratur: nec unius coloris calculi ferri solent, ubi difficultas iudicia variat. Tuã igitur prudentiã opus, ut quod fieri velis, quodque æquum, fiat, & sine cuiusquam offensione. De quadrante demendo nescio an rumor tantum sit: sed affligit se vir bonus, velut exitii sui nuntio percussus. Mare pridem ingressus est, cum quiescere malo suo non posset; & nunc consilii incertus, ad tuam operam, velut sacram anchoram confugit, quia jactatur. Iuva igitur Vir Amplissime, quã potes; & ratiunculæ, ut ita dicam, clavum tene, per hunc æstum. Mergitur ille, si diutius hæret in iisdem undis. Lassus est, exhaustus est: verbo dicam,

dicam, naufragio proximus; nec potest, nisi manum tu porrigis, ad salutem redire. Petiit etiam, ut de summâ aliquâ prænumerandâ agerem, quæ in rationē cedat. Egestas huc ducit, cum reliqua ejus bona impedita sint, & manus injectæ creditorum. O miseram rerum faciem, à cogitationibus illis belli! succurre: quicquid huic fiet, factū mihi putabo; & privatū esse, quod publicū dixi. Lovanii, VIII. Kal. Jul. ∞. Ioc. VII.

EPISTOLA LX. *Mediolanum.*

RAPHAELI MONTORFANO.

**T**ANQVAM feriatuſ resumo calamum, mi MONTORFANE, ut contractum aliquot epistolarum velut æs dissolvam. Morosum esse nomen, non sustineo, cum in meâ potestate, non esse. Sed quid agas? plures occupatiunculæ turbant quotidie, imò impediunt, ut in ejusmodi munere solet. Iam & amici litterarum officio colendi sunt; quos si negligo, Fortuna irascatur. Scriptionem flagitant omnes, quasi fontem alam; & ex hoc puteo haurit quisque, tamquam publico; sermonem, velut aquam. ἀριστον μὲν ὕδωρ, ut Pindar. ait, sed non meus sermo; nisi reluctante veteri verbo, quod optimum, idem & facillimum quis putet. Sed amici mei nimis amici sunt, si quod æstimant, tamquam facile & ἄλυπον deposcunt: nisi æstiment tamen, quia facile. Non declino equidem hanc laudē: sic scribo; & ad te libenter, mi MONTORFANE; imò ad eos omnes, quos in urbe vestrâ amo. Volupe enim adesse tam bonis, cum non adsum, & per litteras interpretes loqui. Etiâ ex meo illo calore mutuus inter vos adfectus incrementū sumit, & ex meo illo liquore. Nam profectò si pectus hoc inspicitis, & puram indo-

lem animi, ignis & aqua sum; & ab utroque Amor: radios mitto, & simul rivos; istos ut uram, hos ut irrigem. Ipsius magnæ parentis Naturæ fomenta gemina ista sunt: imitor, & in amore fovendo Cæli Terræque benignitatem expromo. Ab iisdem velut parentibus Amor est; Cælo inquam & Terrâ. Sappho enim sanctissimo mysterio amori Cælum patrem tribuit, Terram matrem. Sed nolo ego divinitatis vim ætheream aut conditionem usurpare. Homo sum: & sic tamen jungere vos posse videor, quia amo; imò, quia scribo. Nomen, officium, & naturam meam censete: uno verbo, epistolas meas, tamquam aquam. Apud Argivos olim arctissimæ amicitiae vinculum erat, eodem PVTEO uti: sic apud vos erit, ejusdem descriptionis liquore. & ánon ab eâdem causâ? Urbem Argivi agrumque *δῆψιον* habebant: vos animum. quippe quem amor desideriumque mei torret, torquet, & exsiccat. Hinc diligens tua quoque scriptio, suavissime MONTORFANE; & faces, non epistolas mittis, accendisque (mirum!) ipsum fontem. Sed ad rem. Vidi in prioribus SOSSAGI mei manum & affectum. an rogas? exosculatus sum. Benignè enim scribit, imò sentit, nec ab ingenio migrat. Me quidem talem habere Amicū juvat; sed habuisse Auditorem. Exemplo & consilio surgentem ad optima juvenem hunc duxi: verus ipse gnāvusque Auditor seu discipulus, quòd non in solâ scholâ docenti obtemperârit: quòd non minùs ad mores se meos, quàm ad vocem composuerit. PVTEANVM audivit, quoties adiit: congressum meum & sermonem Scholam expertus est. Imago MEDICÆI mei placuit, ac videtur *ἑπιφανῶς* expressa. Sed cujus obsecro manu? nam ARETINVS curasse

rasse videtur, non fecisse. Quicquid sit, pretium ad tabulas refer, paullo post parandum. Nam & libelli tui parati, quas cum mercibus VELTWYCKII transmittam. Meâ operâ reperire hîc omnia non potui. Francofurto, ubi nata sive edita, peti debent. ego faciam, & his nundinis accipies. De nostro illo mirum non fuit audire. Istiusmodi naufragia muneris istius sunt, cum alienâ pecuniâ tamquam suâ telonium lascivit. Plures jam vidimus eâdem culpâ è Fortune sinu excussos, qui & suam, & aliorum miseriam trahunt. Pessimum hoc genus hominum: soli perire nesciunt. Ut ædium maxima ruina est, cum familia obruitur, & domicilium sepulchrum fit: sic damnum censeo, quo præter auctorem vicini aut amici atteruntur. Sed obsecro, ut ego in tempore, & ante ruinam me subduxi! ducentæ libræ de ratiunculâ mihi reliquæ erant, quas IOANNES PAVLVS VERANVS mox à diceffu meo extorsit, & VELTWYCKIO tradidit, quibus FAVSTVLVS aleretur. De Historiâ quid dicam? tardum me hercle negotium est, ac tertium FONTANVS scripsit.

Νῶν δ' ἐλπίζω μὲν, ἐν θεῶν γὰρ μὲν  
Τέλος.

Optimus Clarissimûsque meus SACCVS pro affectu suo fecit; ingenium meum commendavit, tamquam Historiæ aptum. Et verò, mi MONTORFANE, in hoc quoq; scribendi genere (otium modò adfit) præstare ausim, quod laudem inueniat, & placeat simul proficue venienti mox ævo. Hunc fructum Historia habet, ut Posteris doceat: hanc famam Scriptor, ut apud posteros vivat. Scribere res gestas, suave, cum prodesse possis: gloriosum, prodesse, etiam cum scribere desieris. De genere humano bene meretur,

quisquis eruditæ mentis μελετήματα stilo profert, & studiorum hæredem Posteritatem facit : sed sæculi facta perenni scriptione propagare, aut fallor, aut divinitas quædam est. Vetusta illa Heroum nomina qui viverent sine hoc lumine? qui starent sine hoc fulcro? Ac profectò è tam remotâ serie annorum multæ & insignes memoriæ perierunt Scriptorum deliquio; & plurimæ defectu: quia aut defuère, qui historiam conderent; aut, qui pro dignitate. Etenim narrare satis non est; sed quo quidque consilio, quo fine, quo eventu gestum, explicandum. Ingenio ac iudicio opus; &, cum Sallustio dicam, *factis dicta sunt exæquanda.* Qui hoc modo scribit, vivit apud Posterios; & qui scribitur: nec dare Famam rerum auctori Historicus potest, nisi ut accipiat. Cum Achille suo æternus Homerus, cum Alexandro Curtius & Arrianus, cum aliis alii; secum Cæsar, ille unicus *Martis pullus*, qui magnitudine rerum gestarum à scribendo alios deterruit, ut totam à se ipse Famam inveniret. Scribi Cæsar, nisi à Cæsare, potuit. nam qui postea laudes ejus attigerunt, scriptis lumen conati ab argumento conciliare. De me quid dicam? meâ operâ Meus ille vivet (ita auguror) etiam post memoriam gentis. ac jam propemodum apud vos ea defecit, in reliquiis dumtaxat superstes, & vix nomine MEDICÆVS. Sic res humanæ sunt, mi MONTORFANI; oriuntur, ut occidant. Sola virtus oblivionis vincit caliginem, &

*Dignum laude virum Musa vetat mori.*

Ego ut *ἐπίδειγμα* illud cœpi, scribere res nostri avicupiam, id est, nostri Regis; inspici modò à postern

Rex

Rex & ævum velint : inspergere deinde , velut in aurum gemmas , quicquid à meo illo Principe ac Patrono FONTANO gestum.

---Nihil supra

*Deos laceſſo ; nec potentem amicum*

*Largiora flagito.*

Amici mei BIFFII nuper litteras accepi. Amavi, & amo hunc virum. ſcia' quomodo ? ut commune ei eſſe velim , quidquid ad te ſcribo. Suaviſſima cum eodem mihi conſuetudo Mediolani fuit ; & tibi eſſe poterit , ſi non negas ſuccedere in meum locum. Breviter ; ſi me amas , hunc ama. Non ad plebejum te ingenium duco. Hoc idem Clariffimum SACCVM per te nunc rogo , ut quem me interprete & velut proxenetâ novit , deinceps completatur ac foveat. De Califtrato , fluctus ſunt in ſimpulo. Nunc quid peto ? quod dari ſine damno poteſt ; & quo ego ſine damno carere , ſi non obtineo. Sed quid ais ? audaciſſimo mendacio humanitatem meam læſam eſſe ? Obſecro , quid homini illi in mentem venit ? Ego ad SACCVM meum aliòsque ſcripſi : calumniam abſterſi. Sed Phœbus noſter cur non de tam inſigni & manifeſtâ malignitate doceatur ? Animos inſpiciat , quorum frontes probitatem mentiuntur : videat , quàm fugere conſuetudinem eorum debuerim , à quibus etiam abſens innocensque lædar. De OCTAVIANO GHILINO meritò ſcripſeram , ac jam reſponſum aliquod exſpectabo. A PASTROVICHIO unas litteras accepi : indica , & ſalutem meo nomine repende. SICCOS etiam optimos & integerrimos

VIROS

viros suavissimè complectere, & cum iisdem ex hac ipsâ epistolâ fermocinare. DE TVBATIO scire velim, & te per amicitiam rogo. Librum quem ad ipsum miseram, ad FARNESIUM videtur delatus. Amicis ferè dum dederam, quibus & illum ad SACCVM. Investiga: sed ignosce, mi MONTORFANE, & hanc molestiam tibi habe, meâ causâ occupari. Nos lætos publicè dies hîc agimus, Belgico more, & solennem Encæniorum pompam circumduximus. Otiari, imò convivari oportuit; nec omnino ad severitatem reversi sumus. Ego interea, quoties te, quoties Comum cogito, imò prædico! Hoc adfectu Plinius sum, hæretque medullitus pridem conceptum votum, *vitalibus illis auris delictisque Larii lacus in secessu frui*. O musæum vestri IOVI! Ô amœnitatem ripæ, fontium, arborum! urbs ipsa Naturæ venustate undequaque septa, domicilium dare Iovi ipsi posset, nisi Gratia & Musæ ab origine occupassent. Deinde instar Iovis IOVI sunt: quicquid cælum alit, vos habetis. Genium urbis lacusque veneror, ac nisi jus Romanæ majestatis impediatur, Civili honore velim à Comensibus censerî. O te felicem tali Patriâ! quam ego etiam magis amo, quia talem te amicum mihi produxit: nec solum CIGALINUM, SEPTIMIVM, DONATVM, aliosque tamquam MONTORFANOS habeo; quos tu mihi jungere amoris voluisti nexu, quasi solus non satis amares. Salveant illi, & tu salve, suavissime Frater. Mediolani VI I. Eid. Septemb.

∞. Ioc. VII. Salutem MAGHINO meo per te mitto; Viro, quem amo & æstimo, ob candorem & doctrinam. O me felicem, si cum tali aliquo agere, vivere, imo philosophari mihi liceat! negatum est, & fortunam meam fero.

EPIST.



## EPISTOLA LXI.

*Brugas.*

IANO LERNVTIO V. C.

**P**RO thesauro litteras tuas habui, Clarissime Vir; ô insignes & luculentas! Amorem nuntias, laudem defers, dignus ipse amore & laude, si quis inter Belgas. Absit ut adblandiar: sed amari à LERNVTIO, hoc ipsum laudari est; laudari, id verò in ipsius famæ sinu foveri. Auctoritatem istam magnum nomen habet; & ut quisque clarus, ita alios lumine suo facit. Sic igitur expressum de Oratione meâ nuperâ Iudicium tuum, beneficium puto, imò & admitto. Quid ni putem? pretium libro adsignas, & stili tui alis meum tollis, quasi victurum. Quid ni admittam? benignè defers; & ego jam usurpare sententiam tuam audeo, quia non rogavi: puram putâmq; arbitror, quia non extorsi. Fontes vide: qui spontè fluent, limpidi sunt; liquor cùm exprimitur, turbidus atque lutulentus: eodem modo suspecta elogia, quæ emendicata. Et tamen ambitione stultissimi ævi, ut quisque stilum sumpsit, aut librum congeffit, mox famam concipit, ac deinde ut censuram exegit, laudem expectat. Scilicet hoc dandum amicis, dandum ab arbitro auribus, nequid culpetur. Vt corrigas, obtrudit auctor scriptum; sed ne corrigas. aut cum plausu, aut cum offensâ reddendum est. At tam ego ab ambitione istâ alienus, quàm tu ab adulatione. Censuisti LAVDATIONEM meam, quia non obtuli: & vicissim non obtuli ego, ut censes. ego modestè, tu magnificè; quasi accipere laudem melius sit, quàm expectare; & liberius sententiam proferat, qui non rogatus.

K

Sic

Sic mehercle protulisti : & quam sententiam? ( ò magna & æstimanda verba ! ) *superesse in me majore & meliore sui parte LIPSIVM; il a Suadam ipfius in labis sefitantem meis, animos vobis rapere lepore miro delenifica orationis.* An reliqua addam? jam erubui; & culpandus fortassis, quòd, cùm tam audacter alienas laudes congefserim, tam verecundè meas feram. Fero igitur, sed non ostento; imò fero, quia obfuscantem aliquorum opinionem tuo patrocínio evasi. Rectè & acutè differis; & adversùs nimium accuratos hoc scutum scitumque meum esse poterit, VERVS FVI. Quid iniquum in nos ipsi affectum Belgæ stimulamus? Ferimus Laudes nostras, ne odisse Virtutes videamur. Vtrisque propensè favent & applaudunt exteri; quorum ingenuitas facit, ut nullos offenderim, nisi quos laudavi. Sed profectò debebam Patriæ, debebam Iuventuti meæ hoc encomium, ut alia ornamenta desint, argumento bonum atque scriptione. Debet hoc etiam Patria mihi, debet Iuventus, ut laudari sustineant: nec aliud labori præmium posco. Ceterum Oratio ipsa *tuba illa vocalis* erit, de quâ scribis; & cum gentis gloriâ meam, si merui, diffundet. O te verò benignum, mi LERNVII! ò affectu suavem! qui (verba tua repetam) *jam ex Apollinis arbore ramum decerpseris, coronamque formaris plexilem, cincturus promerenti caput.* An non me capiant tam Apollinea verba? Hoc non jam iudicium, sed præmium est; imò hoc illud beneficium, quod amisi. Tu me admitte quoq; in sinum intimæ consuetudinis, & quem petis adfectum, indulge. De adventu meo, nescio an sic subito possim. Animo nunc te complector & stringo. Lovanii. xi. Kalend. Octobr. ∞. lcc. VII.

EPIST.

EPISTOLA LXII. *Mediolanum.*

AVGVSTINO GAMBARELLIO S. D.

**E**T me participem consilii operisque tui facis, mi GAMBARELLI? pro affectu facis, quem claris in me signis jam sæpius testatus. Alius esse non poteris, qui Litteras pari & industriâ tractas, & peritiâ complecteris. Bonum doctumque te eadem artes reddidêre: nec candorem tuum mores seculi potuere corrumpere. Magnæ famæ ingenium par est; & industriam publicæ utilitati mavis impendere. Ut maximè ingeniosus esses, multorum unus labores exantlasti. & sanè eruditissimus ille, qui omnibus profuit; qui quantum sibi hausit, aliis promptit; & ingenii thesauros optimos censuit, si non laterent. Terentium quidem nuper familiarem Scholis reddidisti: in quo, ut nihil quemquam fugeret, ostendisti familiare tibi ab ineunte ætate Latinorû Soccum fuisse. Sed quid nunc moliris? imò quid emolitus es? Parum dicam, nisi carminis nexum admiratio admittat.

MAGNUM quod video & laboriosum

Doctæ mentis opus, manusque doctæ?

Sunt hæc OPPOSITA illa, GAMBARELLI,

Priscæ lumina scriptiois, omne

Quæ lustras Latium, ruisque pulsas

Omnem Barbariem procul tenebris.

Astra hæc lumina, quæ sereniore

Vicissim radio reflexa fulgent.

Sed isto radio vetus facundis

Ardor ingenijis novatur: isto

Pugnanteis sociant sui Theatri

PLAVTVS *delicias*, TERENTIVSQVE;  
*Pugnanteis sociant Fori se veri*  
*Marcus di-vitias, & ipse CÆSAR,*  
*Priscæ delicias Latinitatis,*  
*Priscæ di-vitias Latinitatis.*  
*Fallor? signa mo-vent Fori, & Theatri;*  
*Fictòque ancipitis stili duello*  
*Priscam restituunt Latinitatem.*  
*Sed tuo auspicio, tuòque docto*  
*Ductu signa mo-vent; tuòque docto*  
*Ductu signa jugant; cui superstes*  
*Cernit ordo Kemi novum perennem*  
*Ser-vatæ titulum Latinitatis.*

EPISTOLA LXIII. *Bruxellam.*

REMACLO ROBERTIO,

*Viro Nobili & Amico.*

**Q**UID affectus Viri boni possit, tuo exemplo di-  
 dici. Non promittis, sed facis; non addicis,  
 sed præstas; tam promptus benignusque in  
 me, ut ne quidem gratiâ imitari beneficium possim.  
 Hanc promitto enim; imò hanc addico verbis, quam  
 præstare oportuit: nisi tamen aliquam etiam refert  
 gratiam, qui promittit. Scio; ita interpretabere; &  
 id jam alterum beneficium est, ad gratiam non ob-  
 stringi. Sed quid est? insculpsi pectori meo ami-  
 cam illam opem operamque, quam expertus sum;  
 imò quâ in tranquillitatis portum restitutus. inscul-  
 psi; & quanti faciam, re potius, quàm verbis osten-  
 dam. Bone Deus, quæ illa tempestas! qui venti ab  
 invidiæ

invidiæ statione! obruebar, & undique turbines flagellabant. Sed evasi; & tu mihi, tuusque ille, velut propitii Castores affulsistis. quanto cum periculo vitia reprehenduntur! Ego nunc cum Poëtâ meo clamo,

*Dii me tuentur, Diis pietas mea*

*Et Musa cordi est.*

Vitæ studiorumque summum munimen in innocentia meâ pono, adversus omnes minantis fortunæ ictus. Et quid queror? in mari omnes sumus, & vix sine tempestate enavigamus. Iactantur mortales; & illi magis, qui boni, qui ad Virtutem & bonam Mentem ducunt. Nec mirum: ubi franguntur undæ, ibi æstuant. Circa scopulos iratum semper mare: & quia obstant, quatiuntur. Scopuli isti, reprehensores vitiatorum sunt: scopuli, sed recti & immobiles in omni tempestate. Ita ero, & tui æternùm amans. Vale, Lovanii, XIII. April. ∞. Ioc. VIII. Amplissimum Præsidem ET TENVM cum salute & cultu veneror.

## EPISTOLA LXIV.

CONSULIBVS ET SENATVI ANTVERPIENSI.

**V**IRI Nobiles, Magnifici, Prudentes. Maris fluctus infuso oleo sedari veteres tradunt: per oleum autem, Lenitatem significarunt. Hæc vestra est; & ad hanc venio, ut quies redeat & tranquillitatis aura. Ventus ab invidiæ maligno cardine tenebras istas offudit, benevolentia vestra mihi æquor turbavit, omniâque ista, quæ in hostem solent. Sed quid est? Vos tamen iidem eritis, eâdem prudentiâ & humanitate. Contrahere cælum solémque

K 3      nubes

nubes possunt, diem auferre non possunt. Per hasce igitur nubes adire vos audebo, & serenitatem experiri. Nec mens, nec voluntas mea fuit (Deum testor) Urbem vestram lædere; ac tanta innocentia hujus fiducia est, ut non recusem exterorum omnium, totiusque Posteritatis iudicia subire. Vitia quædam reprehendi; id est, tela in altum misi; sed quæ sine vulnere aut offensione cadât, nisi quis accurrat & excipiat. Iam factum video, & detorta mea verba, quò non directa. Quisquis ille fuit tam iniquæ interpretationis auctor, malè de vobis, & Vrbe vestrà meritis est. Facit ipse vulnera & infligit, quæ ostendit; & ut suam vindicet, injuriam Reipublicæ infert. Ego Urbem vestram amo, Vos veneror, & utrumque hunc adfectum testari publicè non desino; imò stilo vocèque passim diffundo. An hoc fortassis malè aliquos habet, quòd amore vicissim vestro & benevolentia fruar? quòd beneficio & honore philotesio venientem adfecistis? Torqueat se malignitas, & turbet quantum possit, omnibusque modis innocentiam meam oppugnet; ego tamen vester ero; ego famam Urbis vestræ, ubicumq; occasio, adseram; quam nunc à me læsam perverrà delatio persuasit. Ego vel à vobis ad vos provoco, uti iudicetis. Enimvero præcipua Epistolæ meæ pars, Ebrietas est; fœdum vitium, non vestrum. Reliqua quæ insunt, Luxus & Garrulitatis quædam Syrmata sunt; sed si ibi, & alibi trahuntur. In omni urbe defectus sunt. & uti in magno hominum cœtu non omnes nobiles aut optimates; sic non omnes boni aut sobrii. Optima vina etiam fæces suas habent. Itaque non ego Cives vestros, aut convivium percussi; sed siquæ fortassis inter tot virtutes

tes

tes plebeja vitia succrescunt. Vitia, sed *venios*: & hoc impunè omni ævo, in omni populo facinus fuit, semperque licuit improbitatis odium profiteri. Quorsum Schola, Doctrina, Sapientia ipsa; nisi Mentis ornamenta doceant, nevos dedoceant? Hoc feci, & pro munere meo feci: nisi Virtutem hodie, aut Elegantiam quis putet, vitiis omnibus adulari. Sanè Luxum è sacris pulpitis Concionatores proscindunt; quorum vox, velut tuba, aures animosque ferit populi; & per urbem, ipsamque regionem se spargit. Sic dicunt, tamquam scribant; atque adeò dicendo vitia proscribunt. In meâ tamen ista Epistola siquid esse censetis, quod cum maculâ Urbis vestræ, aut suspicione maculæ legatur; diluere novâ editione, sive adumbrare paratus sum, imò promptus sum, & undequaque integram mihi gratiam vestram conservare. Non enim irritandis, sed corrigendis Belgarum animis, hæc de Luxu scripta. Itaque ut indicetis, non vindicetis, quæ displicent, cupio. placebunt emendata. Valete VIRI Nobiles, Magnifici, Prudentes. Lovanii. xi. Kal. April. ∞ . Ioc. viii.

EPISTOLA LXV. *Bruxellam.*

V. A. PHILIPPO MASIO,

*Ordinum Graphiario.*

**S**CRIBENDI occasionem, Vir Amplissime, à munusculo cepi, quod hîc vides. Liber est (quid aliud possum?) imò labor est, sive potiùs auspiciùm laboris. Ut pugnaturi gradum componunt, vires librant,

brant, & designant ictus : sic prælusionem hanc stili  
 vocisque (arma mea sunt) dare volui: & te nunc spe-  
 ctatorem habere inter primos. Lege librum, fove la-  
 borem, & serium me tui cultorem cense. Festos hosce  
 dies felices precor, & in seculum tales. Lovanii. xviii.  
 Kal. Maii. ∞. Idc. vii.

EPISTOLA LXVI. *Leodium.*

IOANNI CHOKIERIO S. D.

**A**D amandum tu quidem non invites, mi CHO-  
 KIERI, sed cogis, epistolâ illâ tuâ, & libello. O  
 vires bonæ & venustæ scriptionis, quam utro-  
 bique promis! & ab animo bono ac venusto. Hunc  
 reddo; imò jam vicissim candore meo benevolentiam  
 tuam ambio, non annalem, sed æternam. Novisti  
 me olim & amasti? deinceps facies. cœpisse dicam,  
 si perrexeris. A fomite nō difficilis flamma est, si quis  
 agitet accendatque. Instar flabelli litteræ tuæ erunt,  
 quas mittes; imò meæ; mutuæ inter absentes illices  
 amoris. Dabitur etiam te videre coram & comple-  
 cti. nam neque iter longum est; & peregrinatiuncu-  
 lis ex intervallo ego delector, quibus deses animus  
 excitetur. Iam urbs illa vestra amœnitate & situ  
 quem non excitet? Quicquid est Nympharum, apud  
 vos habitat: Vulcanus ipse & Venus, tamquam in ca-  
 vernis Aetnæ. Ipse Mosa vester, etiam noster; & qui  
 varijs anfractibus urbem tuam ambit stringitque,  
 meam alluit. Fratrem etiam meum vos habetis, ad-  
 huc adolescentem, IOANNEM PVTEANVM, imbuen-  
 dum bonis artibus Litterisque. Puerum inquam, &  
 qui



qui in Scholis illis vestris primæ Eloquentiæ operatur. Coràm is animandus mihi; quem vicissim ames dirigasq; seriò rogo. Politica quæ promittis, da quæso: fugient nubeculæ, si quæ obtenebrent. Ut hoc ævum est, aut isto genere scriptiõnis, aut nullo Famam invenies. Vale, & me amare perge. Lovanii. x. Kal. Novemb. ∞. lxx. vii.

## EPISTOLA LXVII.

*Illustrißimo & Reverendißimo*

FREDERICO CARDINALI BORROMÆO,

*Archiepiscopo Mediolanensi.*

**V**T ad litterarum consuetudinem redirem, Mediolanum è vicinis collibus veni; sed nunc magis in meram & illunem, te absente, noctem. Nam si qui meliori mente sunt, latent, involuti temporum nube; nec diffundere per obductam caliginem latos ingenii radios possunt. Quid vulgus? cupidine suâ, quasi lege quadam ad fastum & lucrum compellitur; scilicet ad felicitatis metam. Hæc erroris pertinacia plurium jam consensu animata, in curiam, aut siquid curiâ sanctius est, irrupit: & id dumtaxat bonû honestûmq, quod utile. Bone Deus! Siccine evilesce amor ingenii potuit, ut quisquis Suedæ ac Sapientiæ se commisit, insanire videatur? Ego tamen nunc magis vacare mihi cœpi; & in publicis istis tenebris, quæ non desidiã tantûm, sed præne somnum seculo induxerunt, intentiùs lucubrare. Quis hominum hominem se cogitat, & ingenio vi-

L

vit?

vit? Vt qui dormit, imaginem mortis induit: sic qui otioso immerfus, ætatem non silentio tantum transigit, sed sopore; ut planè existimem, mortuorum hanc vitam esse, quam pleriq; vivunt. Vbi habitant, sepulti sunt: ad limen vestibulúmque, velut cippum aut monumentum accedis. Vt mireris mortuum esse qui inter vivos agit, híc situs est qui necdum obiit. Bene tamen spero. tu urbi huic, Italiae, Orbi contigisti; & unus perfectissimo vitæ studiorúmque exemplo, veternum animorum corriges; imò corrigis, & æterno beneficio felices Litteras, felicia tempora reddes. Id verò non civitas tua modò, sed Orbis universus certâ spe concepit; téque per doctorum omnium ora seculi ornamentum celebrat. De Typographiâ nihil etiam actum. Senatus ad Principem, Princeps ad selectos consiliorum rejecit: ego caussæ fiduciâ fretus, sine prensatione exspecto, quanti optimus hic conatus erit. Nunc etiam alienâ operâ usus sum, & DECLAMATIVNCVLAM istam pro Libertate Litterarum, prodire passus sum: quam sic accuratissimo iudicio tuo sisto. In novas ædes (non mores) migro, Larémque coronó, & Musarum Genium, ut & habitatio & felicia studia sint. Vicinus Palatio tuo sum, & proximus optimo RAPHAELI MONTORFANO: quo nihil melius, nihil candidius populus habet. Sed de GRATIO quid dicam? venisse gaudeo. hoc amico, nec fallor, beatus sum; te Patrono, in Litteris, id est, in deliciis sum, & vivo: illum amo, te veneror. Valetudinem firma. Sic demum metus noster subsidet. Sole languente, caligant cuncta: hæc quoque nostra conditio est, qui te colimus, à quo vigemus. In tuâ urbe, Prid. Kal. Octobr. ∞. Ioc. IV.

Ad

Ad Quæstiunculam de voce cervi breviter addo.  
Nam non uno modo veteres expressêre. Tragicus in  
Hippolyto Mugitum nominat:

*Si conjugio timuere suo,  
Poscunt timidi prælia cervi,  
Et MUGITV dant concepti  
Signa furoris.*

Glossæ veteres Barditum & Rugitum: *ελαφος, Cervus,*  
*Cer-va. ελάφειον, Cervina. ελαφος κρᾶσι, Bardit, Rugit.* ANTI-  
P A S non mirum si in Latio; nam & hæcenus me la-  
tet. Græcis ἀντίποις juvenis sive pueraster. Ægyptiis  
Pastores odio fuisse libenter disco. an quia Agricul-  
turæ omnino dediti otiosum illud vitæ genus sperne-  
bant? lubet cogitare.

## EPISTOLA LXVIII. *Bruxellam.*

IOANNI RICHARDOTO, *Præsidi.*

**L**OVANII sum, & jam colligere sparsas hæcenus  
cogitationes incipio, stilo vocæque Iuventutem  
erecturus. Tuo auspicio fiet, bono propitióque;  
& pari affectu conatus meos fovebis, quo exceptus  
sum. Meâ, sed & publicâ causâ loquor. Nam quid-  
quid in me benignè fiet, Iuventus sentiet. Ut fontium  
labra desilientem excipiunt aquam, ut ad usum red-  
dant: sic ingenia, profluentem à Mæcenatibus huma-  
nitatis opem. Sed te profectò Mæcenatem ego scri-  
bo, & nomino *mearum Grande decus, columenq̄ rerum.* Res  
porrò meæ, Litteræ sunt, & hæ publicæ: ut sic quidem  
videar vitâ & voto publicus esse, cùm meus sum: nec  
meus sine auctoritatis tuæ patrocínio seu tutelâ. Hoc  
pulchrum, Patriæ Præsidem, etiam Litterarum esse:

publicum Patrem, etiam meum. In ipso jam muneris & aulae limine expertus sum, & in Scholâ experiar. Nam & hîc auxilio tuo opus, ut admittar. Ad Consullem Senatûmque Urbis date litteræ; velim ad Rectorem quoque, Academiamque; ne in publico conventu aut confessu Professorum, hospes videar. Sed his jam ineptiis collidimur Sapientiae myltæ, & ab opinione quoque loci Professoris auctoritas pendet. Negligit imi subsellii vocem Iuventus, atque etiam spernit: quasi alta non doceat, nisi qui loco & ordine altus. Quid igitur? more seculi vivendum, more Scholæ, ut felici in segete Professionis semina adolescant. Vale. Lovanii, in musæo Lipsiano. Postr. Eid. Febr. ∞. Ioc. VII.

## EPISTOLA LXIX.

MAXIMILIANO VRIENDTIO,

*Senatui Gandensi à-Secretis.*

**V**TERQUE te amat, & Scriptor epistolæ hujus, & Lator. nōne tu utrumque? haud fallor. gratus ego scribendo, ille ferendo erit; etsi pænè supervacuum alterius hoc munus. nam & supprime ego calami officium possum, ut in amico, & per amicum loquar; & ille sine epistolâ ire, qui ipse epistolam spiret. Vide autem, quam liberè: quasi amicus desit & verborum gerulus, stilo utor; & sic tamen amanti comes nunc fio, scriptione. O suave iter, quod saltem cogitatio facit & metitur! Alis, non pedibus ad te venio, properatis animi; & his nunc carum mihi pectus tuum circumvolo & caput. Tuum, id est,  
Musa-

Musarum; quæ tuo ore loquuntur, pectore sapiunt. Tales versus illi iterum fuere à nupero calore, Veneris & acuminis pleni; in quibus præter argumentum cuncta suo lepore rident. Selegi partem, quam diffundam, in Italiâ legendam. Quidni? ab amicis, qui Lipsium nuper, nunc me amant, & quibus amare sine Vriendtio Musas, amulum. De me etiam si queris, aut studiis; cœpi colligere & corrigere, quæ sparsim hætenus juvenili calore emisi, ut in uno velut fasce habeantur. Iam vota quid extendo?

*Vita summa brevis spem nos vetat inchoare longam.*

Longa tibi sit, mi Vriendti, & longum me ama. Lovanii. xvi. Kal. Novembr. ∞. loc. vii.

## EPISTOLA LXX. *Mechliniam.*

A. V. NICOLAO SOESIO,

*In Supremâ Curiâ Senatori.*

**Q**VIA viam nuper ad Amicitiam tuam aperuisse videor, Amplissime SENATOR, & calamum & simul frontem sumo, ut scribam. Res amici mei agitur, Viri recti, placidi, candidique, & in tuo, ut ita dicam, tribunali. Quia nomen dixi, causam nosti: & nonne æquam, bonoque jure roboratam? Sanè hæc sententia Iurisconsultorum nostrorum, hæc opinio hominum est: quæ utraque adversarios velut præjudicio quodam damnavit. Ut prudentia, ut æquitas tua est, virum bonum & innocentem non deseres: ut lenitas & humanitas, me, si pro amico pronuntiaveris, obstringes. Nec pluribus apud æquum arbitrum pro causâ æquâ loquor, ne diffidere innocentiæ

videar, aut injustum suffragium ambire. A te nihil, nisi quod æquitas præscribit, exspectamus: & nos cadere causâ non possumus, nisi & Iustitiâ cadamus. Hoc rogo, amoré meum & cultum admittas, quem defero, & deferam; ita salvus sim, & ita ex judicii hac Palæstrâ victor hic amicus meus discedat. Vale. Lovanii, III. Eid. Jun. ∞. Ioc. VIII.

EPISTOLA LXXI. *Mediolani.*

LVDOVICO SEPTALIO, V. C.

**E**CCE quàm ego in re Liberi liber! Lagenam mitto. amplius dicam? & grandem mitto. Fac obsecro plus oneris hic meus referat, quàm fert. Robustus ille est, & oneri sufficiet: nos potioni. Animam annus agit, & exspirat: ejus nunc funus curandum est, & rogos incendendus, è quo resurgat Phœnix. Salve, & de meliori notâ prome. Tuus te rogo, & feliciter ANNARE ac PERENNARE jubeo.

EPISTOLA LXXII. *Lugdunum Bat.*

DANIELI HEINSIO, V. C.

*¶ Musarum ocello.*

**O** Admirabilem scriptionis tuæ genium! Amarem, nisi cœpisssem; & magnæ virtuti atque eruditioni parem candorem video & humanitatem adherere. Vt seculum hoc est, ad fucum & fraudem plerique sapiunt, quos Litteræ etiam crudæ quædam, & scientiæ audax persuasio in ferociam, stolidissimamque arrogantiam propellit. Ab ipsâ doctri-

doctrinâ humanitas exulare iussa est, à virtute candor: quasi magni, quicumque censere alienam industriam, atque despiciere audeant. Tu aliter; quem non ideò tamen melioris naturæ germen admiror, quasi laudes agnoscam, quas tribuis; sed ut amorem æstimem, quem testaris. Etenim verborum mihi ansam tu præripis, ut audire debeam quæ dicenda sunt: nisi tamen hoc humanum quoque censeas, laudantis officia amori indulgere. Ego verò quamvis maximè amo, encomiis abstinco, cum favendo & admirando alienas virtutes æstimare non indecorè liceat. Hoc facio; & feci, ut libare floridas præclarissimi ingenii tui dotes editis in libris cœpi. Sed me ut similem tui dicas (laudare enim vehementiùs non potes) patiar, si non aliorum, sed tuâ ipsius censurâ æstimeris. Nam cum ceteris summus, tibi ipse parvus videri vis: sed annon hoc ipso magnus? quam declinas claritatem, invenis. Ego verò satis mihi doctus videar, si, quam non sim, intelligam: etsi hoc ipsum non Doctrinæ tantum, sed Virtutis omnis summa est, *seipsum nosse*. Ceterum, ut studia tibi mea pandam, Honestum cordi est, ut invidiæ, avaritiæ, superbiæ, similésque nævos expungam è pectore; amorem Sapientiæ inferam & Virtutis. Igitur alios docere siquid possum, voce facio, exemplo conor: & in ore animoque Epicuri illud mihi versatur: *Ἐπιδάμιος ζῆν ἀριστον*. De Somnio meo quid dicam? damnant, aut certè carpunt nonnulli, quia tu elogio tuo celebras; quasi ineptum putidumque, quidquid tu laudare sive velis, sive, ut aliquid mihi tribuam, possis. Bene est: non omnino desipuisse mihi videor; quia sunt qui obloquuntur. Themistocles olim virtutis signum invidiam censuit.

fuit.

suit. οὐδὲν, ἔφη, πρότερον λαμπρόν· ὅπως γὰρ φθονεῖσθαι. Ergo inter homines improbos hoc quoque genus invenitur, qui velut maculae & nebulae, suffundunt veneni sui auram, & involutum aut infectum eunt, qui liquid alienum est. qui, ut mihi noceant, obesse tibi, Vir Clarissime, non possunt. Supra invidiam doctriinam & ingenii felicitate scandis; & in media obtenebrantis aevi nocte, novam purpureamque scriptorum majestate fulges. A SCALIGERO amari me, gloriosum duco: cultum & reverentiam reddo, vitam & valetudinem voveo, & hunc animum, ut frui deinceps famam suam velit, & tranquillitate. Ad eandem tendo. Fatum tandem frangit odia, leviora si feramus. Vita militia est, & per impedimenta, atque adeo discrimina, ad Bonam Mentem itur. Armis vero opus, non a Vulcano, sed Minerva; non in Cyclopo, sed Sapientiae officinae cufis. Et vin' etiam, ut communem tesseram capiamus? Animum calumniae & malignitatis strepitu majorem. Sic censes enim, optimum esse, audire posse, & posse contemnere: & ego censeo; sed te amo, & tuum mihi posco pectus, in quo habitem. Candorem & benevolentiam adfero, & simul invenio, firmum amicitiae vinculum: sed animi ingeniique tui praclarissimas dotes non minori affectu prosequor, quem hic ecce nomine meo signo. Vale Clarissime Vir, delictum Musarum, & amicitiae fide aliquid cogitationum tuarum apud me deponere: quid scribas, quid moliaris, an aliquando nos videbis. Lojantii, v. Kal. Decemb. ∞. Ioc. VIII.

EPIST.



EPISTOLA LXXIII. *Venetias.*

CORNELIO BREDE

Suo S. D.

**B**ONAS tu profectò merces CYMBA istâ vehis : & favebunt Castores, ventorumque ille Pater. Sed ventos mitto: amœnitas te sequitur, & quæ in ipso mari nata, Venus, spumofam originem naviculæ tuæ malit, quàm Conchæ suæ debere. Ac sanè talis Concha fuit, quæ elegantiarum salax numen edidit. Extra imaginem; Dissertatio rei & elocutionis fecunda est, & dignitate quadam assurgit. Poterat Distinctio accuratior, severiorem, aut hærentem alibi sensum expedire: sed cur à Typographis, festinare tantùm natis, cultum & nitorem exigamus? Tamen majori etiam ornatu libellus tuus dignus erat; illa ingenii tui felicitas, quâ summis rebus par es, & æternitatem provocas. Experiar ego, an Belgarum typi extra culpam omnem esse possint. *Faculam Distinctio-* num nuncedo, Grammaticum opus. sed corrigendum nuperum Syntagma erat: corrigi autem non potuit, nisi totum mutaretur, & in volumen excreceret. Doleo mittendi occasiones mihi deesse. Alioqui inter primos te Lectorem cupiam; ut amicum scripsi. Salutem ab Amico PLOVVIERIO addo, qui libellum tuum legit & laudavit. Vale. Bruxellæ, vi. Kalend. April. ∞. Ioc. x.

M EPIST.

EPISTOLA LXXIV. *Bononiam.*

FRANCISCO BARTHOLINO S. D.

**M**ORAM ne accusa, mi BARTHOLINE, aut increpa. morem meum servo, & Epistolarum diligens sum, præsertim cum à tam amicâ interpellor manu. hanc exosculor; sed illam illius abominor, qui tam lentus in perferendo, ac planè supinus. Nam litteras tuas extremo anno scriptas; ante dies aliquot accepi, jam ætate vetulas, et si affectu vernantes. Delicias amoris ad me mittis, atque etiam stili: neque amica solùm tua illa scriptio, sed elegans ac venusta. Hem! ingenii tui flores velut anni sunt, quos cana pressit hiems, & amœnitatis pater Favonius reduxit in conspectum. O tempestitivam igitur fragrantiam! & quam perennem deinceps dabis jugi seminio scriptionis. At tu etiam sermonem voves, & coràm me adfari, imò audire è loco, quem TIRIVS reliquit. Quid dicam? velim ipse, si honestè possim. nam Bononiam & munus illud amasse me ultrò fateor, atque etiam amare. Nunc ubi terrarum sim, vides, & quo vinclo Patriæ adstrictus. Tamen si res cogat nova consilia capere, & honestè vocer, Famam simul Fortunamque librem. Italicas condiciones appellare Attalicas soleo; in primis Bononienses: in quâ Vrbe ut reliqua omittam, etiam docentium quædam majestas est. Iam quem non trahat suavissima & doctissima illa consuetudo PERSII? illa tua? Sed remoram dixi. aut potius necessitatè, quâ me Patria tenet. Belgasum; & Belgis ingeniû debeo. De imagine obsequar,  
ut me

ut me videas, cum non vides; ut ames, quem presentem tibi finges. Vale. Lovanii. XII. Kalend. Iulianis. ∞. Ioc. VII.

EPISTOLA LXXV. *Mediolanum.*

IO. BAPT. SACCO, V. C.

*Senatui à-Secretis.*

**V**TRIVSQUE Epistolæ tuæ lectio suaviter me imbuuit, ipso velut amoris rore. Vtinam sic te Laudatio mea, quam accepisse scribis! Hoc cogita, itineris negotium fuisse, & corrigi etiam secundâ curâ posse, si per otium inspiciam censeamque. Quædam enim expressius dici fortassis possint, quædam etiam venustius; quæ nunc laudem etiam habeant ab extemporalitate. Ciceronianum (quod primis annis feci) hinc me non præstiti. Nare sine scirpo didici. Sed quàm risi Pithecium illud hominis, qui ipse Cirratorû sumit annos, ut Cirratos doceat. Varia scire, & Stilo quoque Proteum esse oportet, qui ab omnibus auditur: instructum habere pectus, qui velut in theatro loquitur. Isti autem tales Phrasium doctores sunt, & sceptrâ cogitant, quia ferulam gestarunt. Mihi crede, neminem talem, nisi defectus eruditionis aut ingenii fecit. Volunt sine peritiâ linguarum eloquentes esse, & quod Cicero non potuit, profitentur. Prima ætas discantis imbui hoc lacte debet Tulliano; quia alii ejus notæ & ætatis scriptores perierunt. Sed cum robur ingenium cepit, cibo opus, ut scriptio adolescat. Primam igitur ætatem in Scholis publicis si crudiunt, meo quidem suffragio

Ciceroniani sint ; sed indigni publicis scholis, nisi conatum attollant. Quòd me etiam obliquè & iniquè perstringere ausi, rideo & sperno, & surdâ aure admitto. Apud bonos doctòsque incorruptum nomen meum erit: aliis displicere, *cicum non interdum*. Sapientiam amo; & hæc me docet, non repellere calumniæ ista tela, sed declinare. Nam directâ aut emissâ, non perveniunt; &, ut perveniant, non lædunt. quippe armatum animum habeo constantiâ, roburq; collegi, quo tutus adversus omnem linguæ injuriam consistam. Socrates cum Comœdiam spectaret, & cõviciis suis interesset, constanti vultu animoque fuit, & scenam tamquam Xantippen suam risit. *Non est in rixam* (monet Seneca) *colluctationemq; veniendum. procul auferendi pedes sunt, & quicquid horum ab imprudentibus fiet* (fieri autem nisi ab imprudentibus non potest) *negligendum.* De Laudatione verò quid sentias, exspecto, & quæ judicia aliorum. Ad Clariss. SEPTALIVM aliâ viâ misi. Utinam PRINCEPS legat, intelligatq; ! utinam ad hunc modum Iuventutem Ticinensem habeat ! Sed nihil tanto Heroi difficile aut arduum, sive prudentiam, sive voluntatem spectemus: respiret modò, & ad Pacis negotia revertatur. Constituere Academiam istam, & *vaganti frena licentiæ injicere*, ex re publicâ Regisq; fit. In litteris meis si quid est quod ames, etiam laudari patiar, si ad candorem & affectum restringas. Nam quæ adjungis, certè non agnosco; ut etiam negligentia aut incuria peccare videar, qui ad tam insignem doctumq; tam supinè scribam. In tuis potius nitor roburq; est (ita sentio) & gravitas cum amœnitate conjuncta: quæ omnia eò pluris facio, quòd tam facile pangantur. Meæ deliciae tuæ litteræ,

teræ; & suavis mihi ille dies, quo adferuntur. atque utinam sic scribant (ad hos enim redeo) qui Ciceronianos se, nescio quâ fiduciâ, dicunt! utinam te vident, quibus sudor omnis in vano quodam verborum strepitu consumitur, & emendicatâ Phrasi! qui oratores etiam videri volunt, si latinitatem Tullii, non dicam usurparint, sed corruerint! Sic qui mendici semper sunt, post unam aliquam orationem, & vel in ipsâ, paupertatem suam inveniunt, & ineptius etiam non agnoscunt. Aut ignaviam, aut stupiditatem profitetur, quisquis de alieno scribit; nec laudem huic tali, sed profectum dumtaxat concedimus, si ad exercitationem scribat. Nulla hæc doctrina est, voces aliquot colligere & transferre, ut è verbis tandem argumentum nascatur scriptio. Serere hîc oportet, non plantare; & uti à radice fructum, sic ab ingenio laudem auspiciari. Iam quicquid scribunt, alienum est; quicquid corradunt, Ciceronis est. Sed an sic ubique profectum? inter flores pulcherrima rosa est; at decerpta languet. Vtinam verò cum iudicio transferant & usurpent? imperitia obstat, & cruditas, ut ita dicam, stili. Nam profectò tota hæc elocutio acerba est, quam suavem & percoctam vocant. acerba, inquam, si inspexeris: ut poma quædam, quæ ambientem velut maturitatem mentiuntur, medullam autem immitem habent. Sed quid dicam? aut è malâ institutione hoc vitium esse; aut in his doctoribus *ἀναστροφῆν* quamdam & ingenii *βραδύτην*. Ergo te cogitent; & ut magni doctique sint, felicitatem tuam latinè dicendi scribendique repræsentent. Tuus enim ille sermo Romanus est, castus est, promptus est; & quod ego miror, vel silentio exercitatus. Sed lon-

gum ego loquor. OLGIATVS hîc fuit: & quomodo, semel iterumque scripsi. Etiam de canibus LIPSIA-  
NIS. atque *Ποδάγραλος* ille pro Genio Italiæ magis fuisset.  
nam & *vinum bibebat*, & *articulorum morbo vexabatur*.  
Vtrumque istic vernaculum est: ac potuisset Catel-  
lus apud vos quidem humani velut juris particeps vi-  
deri. *versiculorum meministin'?*

*Et sanè est aliquid mi hominis. vis argumentum?*

*Vina bibo, & vino nata me habet podagra.*

Tabula in atrio etiam visitur amœnè picta, in quâ vi-  
num è cirneâ sive paterâ catellus, ut ita dicam, *δινος*  
libat. Sed quod de Podagrâ additur, nullum hominis  
argumentum est: nam & hic morbus caninus. Ita in  
Aristotele lego, libro VIII De Historiâ animalium,  
Cap. XXII. verba in promptu sunt, & lubet adscribere:  
*Οἱ δὲ κύνες καίνυσσι νοσήματι τρισὶν ὀνομάται δὲ ταῦτα: λύττα, κινάχη,  
ποδάγρα. Canes quidem tribus morbis infestantur, quorum nomi-  
na hæc: Rabies, Angina, Podagra.* Et Pollux libro V. Cap.  
X. Aristotelis hæc verba usurpavit. Carmini tamen  
venus sua inesse potest; quia *δινοςότης* hic canis; & vi-  
ni, non suo vitio podagram contraxerit. Sed quoni-  
am de morbo sermo, non possum de filiolo meo non  
loqui; & si culpa quoque nutricis accessit, non irasci.  
Pater sum, negare affectum nequeo: at mater vel su-  
spicione dejiatur. Vix acceperam litteras, & mox  
de FAVSTVLO suavissimo querere cœpit, ac nescio quo  
instinctu materni affectus, malè suspicari. Simplicius  
aut imprudentius à primâ lectione respondebam: illa  
instare, urgere, & lectionem sæpius interpellare. In-  
genio, arte, imò toto Vlysse opuserat, ut suspicio-  
nem amoverem. Non minùs interea ego torquebar;  
quòd scire, & simul celare malum oportuit. De Puel-  
lâ ve-

lâ ve-

Iâ veitrâ quid scribam? valet, viget,

*Iam matura viro, jam plenis nubilis annis.*

Mores & linguam quoque nostram discit, tamen oscula non libat. Sic eam habeo, uti educata est.

*Scis tu, ut confringi vas citò Samium solet?*

Pudica quidem Belgarum oscula; sed tamen oscula: & insinuentur multò honestiùs, quàm figantur. Abhorrere illa ab hoc ritu debet, & si pudicitia alumna esse velit, illæsum usquequaque verecundiaæ florem servare. Nesciunt nostræ virgines ullum libidinis rudimentum oculis aut osculis inesse, ideoque fruuntur: veitrâ sciunt. Si nostræ esse hæc quoque incipiet, particeps candoris nostræ erit, & castæ immunitatis capax. FAVSTVM meum tibi commendo; & Clariss. SEPTALIVM communem Æsculapium rogo, filiolum mihi servet, delictum, omen.

*---εἰ τόδ' ἐστὶ τοῖς τεκοῦσι φίλων.*

Vale. Lovanii, xi. Kal. Iulias, ∞. Ioc. VII.

## EPISTOLA LXXVI. *Bruxellam.*

MAXIMILIANO PLOVVIERIO,

*Viro Nobili & Amico.*

SORTEM meam vide: Bruxellæ nuper fui, in ipsiis tuis ædibus; nec frui te datum. Nunc per imaginem iterum loquor, Epistolâ ceu personâ utor, pro ritu scilicet sacrorum, quibus insanire suave. Hem! à Bacchanalibus etiam aliquid calamo meo adhæret, stultitiæ nescio dicam, an hilaritatis. Hoc scio; tecum loqui, etiam sub epistolari hoc velo, amœnum esse, atque adeò cum magno Sapientiæ fructu. Etenim cùm te intueor, libertas quædam me trahit,

trahit, & nescio quis stimulus Bonæ Mentis; ut jocari, & simul Philosophari audeam: id est, geminas suavissimi ingenii tui dotes imitari. Lepos merus es: & hisce velut flosculis honestas illa animi tui, virtus, prudentia ornantur. Plura dicerem, nisi & verecundia tua obstaret, & ego jam virtutibus tuis deberem. Sed visne, ut telam aliquam sermonis ordiar, seriam pariter & jucundam? Hic habes, in adjuncto isto libello, imò EPISTOLA, quam Satirico quodam filo contexui, non sine delectatione aliquâ (ita spero) videndam. Te inter primos Lectorem posco, & Censorem. annon impetro? Epistola est, ad amicum est, & legere volet, quisquis amicus. hoc nomine te censeo, & vero verbo AMO. Sed de SPINULA quid scævi? facinus audax, nisi fama tamen, quod suspicor, fallit. Varia quidem hominum judicia ac suspiciones sunt, scelerisque consilium hostibus imputant. Hæc jam prima Pacis mora est, à milite, à nefario: cui satis non erat belli successum scelere impedire, nisi & negotium pacis conturbaret. Sed salvi etiam sumus, quia vivit, quem lædi flagitium fuit; imò quia vivit, quem punire hostes volent, ut innocentiam suam probent, omnemque sceleris suspicionem amoliantur. Vale. Lovanii, x. Kal. Mart. ∞. Ioc. vii.

EPISTOLA LXXVII. *Ruremundam.*

MATTHIÆ BONERO suo S. D.

**K**οινός ille Εριμής, & χρυσόβραχίς ἄγγελος θεῶν, nescio quomodo à nobis & Gratiarum cœtu alienus: ita raris habemus sermonis atque litterarum gerulos.



rulos. Nec mirum fortassis: lucrum non tractamus, pecuniam collybo non transcribimus, ab auro non pallemus:

---hoc agimus, tenuiq; in pulvere sulcos

Ducimus, & litus sterili versamus aratro.

Sterili, dico; & sic nunc quidem aridissimi eloquii mera quædam macies mihi nata, *De Laconismo Syn- tagma*, & pungentes *Aculei*, *Thyrsi*, an spinæ? Vide tamen, ac deinde **CRIPIO** nostro dona. **BREIVS** hîc nobis tuus adfuit, litteras **TELLICHTII** dedit, librum- que. Amo hunc amicum, moribus suavem, doctrinâ elegantem; imò serium, ut *ἰσίδειγμα* istud Iuris est, stilo & *μετάφρασι* bonum. Scribere ad ipsum nunc prohibeor: tu adfectus mei vices obi; salutem, imò gratias uberrimas indica. Etiam **Apollineo** **CRIPIO**, cujus mihi scriptio nupera gratissima fuit. ac sanè talè ego *Somnio* meo amicum exoptabam. Vale, tuos omnes saluta, & scribe. Lovanii, III. Eid. April. ∞. Ioc. IX. De induciis non jam spes, sed res est: coiverunt. utinam nos *Belgæ* animis moribusque! Deus donet! Iterum vale.

EPISTOLA LXXVIII. *Mediolanum.*

RAPHAELI MONTORFANO meo S. D.

**G**AVDEO sanè litteras à te meas æstimari. A moris enim signum est; quo ut me prosequeris, sic & mea. Alioquin quid magnopere illæ habent admiratione aut pretio dignum? litteræ sunt, & à repentinâ omnes manu: bonæ tamen ideò, quia sine furo aut ambitione. Sic scribo mi **MONTORFANE**, imò sic vivo; nec didici, ut cum *Sallustio* dicam, *aliud clau-*

N

sum

*sum in pectore, aliud promptum in lingua habere. Sed te amo, qui hunc candorem meum amas, imò possides, id est, thesaurum Bonæ Mentis. Totum illud discere, & scire, hunc scopum habet, ut Boni simus: Boni autem sine candore esse non possumus, nec sine virtute candidi. hanc qui possidet, doctus est; sed an suffragiis hujus ævi? Ad malitiam & vanitatem plerique sapiunt, & arcam instructam habere malunt, quàm pectus; nomine excellere, quàm animo. Sæpius stultissimam homuncionis istius stoliditatem ridere soleo, qui carere pulcherrimo virtutis elogio maluit, quàm nescio quo titulo. Scilicet vanitati jam reverentia debetur: & vitia sordesq; honorem poscunt, si quis sanguinem aut familiam jactat. Quid opus scenam hanc pertexere? nostri. Neque unam aliquam*

*---dedit hæc contagio labem.*

De negotio Hispaniensi quid dicam? Opus auxilio & operâ benivolentis alicujus, qui agat, instet, urgeat. O SANDERIVS istic nunc esset, aut alius SANDERII affectu! Neminem tu habes? aliquem quære aut constitue, neque sterilis apud nos gratia erit. Sed obsecro quis ploratus ille nutricis? ab oculis, an etiam ab animo? ratio Pueruli habenda est, & quod ex ejus salute, hoc faciendum. Amici jam decreverint: atque id ratum esse volo. Interim gaudeo de affectu, quem maternum illa sumpsit, velut altera mater: sed hunc affectum vicissim Puerumat, si diutius lactetur. Post *Laudationem Juventutis*, etiam LIPSI edo, tamquam pium aliquod *μνημόριον*. Sed illam Juventutis jam misi, & à VELTWYCKIO exemplaria accipies. hanc LIPSI mittam pariter, ut de utrâque judices. Quid ni? ad tam volentem & amantem, & qui de scriptis meis populi

puli soles suffragia colligere. Pax cum Venetis in latitiam hîc passim omnes maximam dedit. Sanè cum fructu Italiæ non erat, bello rem decîdi: neque etiam cum nostro. Sed Deus respexit, & impendentem illam tempestatem amovit, etiam ut nos erigeret ad spem serenitatis. Nam inducias cum Batavis habemus: consilia sive vota fervent non longinquæ pacis. Deus nobis eam donet, te, tuam, tuosque servet. Lovanii, x. Kal. Iun. ∞. Ioc. VII.

EPISTOLA LXXIX. *Amsterdamum.*

CORNELIO PLEMPIO.

**E**PISTOLÆ tuæ finis, mi PLEMPI, meæ principium erit; & à DIEMENO ordiar. Litteras ejus accepi, sanè blandas, imò verò amicas doctasque. Magno affectu feror in hunc virum, quem rarum esse video, in ordine illo vestro & cœtu. Sed obsecro, hoc in negotia tractare? est Litteras, est doctrinam: eò meliora, quia pudor, probitas, & avitus in optimis sensus, adsunt diriguntque. Iterum dico, magno affectu feror in hunc virum, tuo quoque judicio talem. De Lovanio amœnè censes: ac certè locus ipse locique Genius amœnus. Hoc fruor, & te velim quoque, suavissime PLEMPI, quem olim hîc novi & amavi, cum vernans utriusque ætas adhuc esset & exurgens. Sed quàm tum quoque Musarum totus eras, & Elegantiarum! tale ingenium tuum, bonum, facile, & ad difficilia quæque aptum. In Musicâ quem jam te esse dicam, cujus olim ad miraculum digiti loquebantur? utinam adsis, & aures animùmque mihi mulceas, tu meus Orpheus! quis de Harmoniâ ingeniosè scripse-

rit, quæris? & ego quæro. pauci sunt, sive nostros, sive antiquos perlustremus. Prohibent tamen, nisi fallor, Græci aliqui hæctenus non visi, qui Mediolani afferantur. In Marciano Capellâ, vide an sit quod placeat. Itali qui recenter scripserunt; noti. Pax in votis est: tu mihi in animo, mi PLEMPI, per quem ad DIEMENVM nostrum redeo. Vale. Lovanii, XI. Kal. Iulii. *co. lxxviii.*

EPISTOLA LXXX. *Mediolanum.*

IO. BAPTISTÆ SACCO;

*Senatui à-Secretis.*

**D**E Hilaritate omnino sic cenſeo: neceſſaria eſt. *Legum Conditores, ut Seneca ſcribit, feſtos inſtituerunt dies, ut ad Hilaritatem homines publicè cogentur, tamquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum.* Ego te cogam quoque, & à curis paullisper ſubducam, ut reſpires ac interjungas. Indulgendum eſt animo, dandúmque ſubinde otium, quod alimenti ac virium loco ſit. Exemplo ecce præeo, Epistolâ incito, ut tuus interdum ſis, ac poſitâ ſeveritate, delicias admittas. Mi SACCE, jumenta vide; immunes ab onere noctes habent: nos mortales cenam ſomnúmque curis crucibus torquemus, ſemper ſolliciti anxii que rei, honoris, ac fortunæ.

*Perpetua anxietas nec menſa tempore ceſſat,  
Faucibus ut morbo ſiccis, interq̃ molareis  
Difficili creſcente cibo.*

Addo etiam? quid ni ex eodem Satirico?

*Et toto verſata toro vix membra quieſcunt.*

Iterum te voco, mi SACCE, & à jumentis ad agros  
duco,

duco, ut remissionis necessitatem vel ab ipsa naturâ doceamur. Tot arbores paucorum mensium onus gerunt; sub anni noctem, omnem illam fecunditatis sarcinam ponunt, & panis erectisque velut ramis quiescunt. eâdem lege concipit paritque ipsa tellus, & datis frugibus, tamquam ab utero respirat. Sed amplius etiam tibi oratum indulget. Agri novales sunt, arbores vitésque steriles, & ternis ferè annis. Quid?

*Albus ut obscuro deterget nubila Cælo  
Sæpe Notus, neque parturit imbreis  
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento  
Tristitiam vitæque labores.*

Potes profectò, velis modò; ac planè faciendum est. Neque enim ferreum tibi pectus, aut ætas integra. Fractus es, & anni gravant. Nisi tuus interdum sis, nullius eris.

*---Vires instillat alitque*

*Tempestiva quies.*

Solus in isto munere non es: partem oneris in collegas transfer; quos hæc sedulitas tua fortassis torquet, quòd solus otiari nescias. Cælum cogitare te scio, & perennem illum motum: at pondus à terrâ habes. Severissimè dicam: DANDA EST REMISSIO ANIMIS. Vox illa vetus interdum usurpanda, *εις ἀύριον τὰ σπέρματα*. Animus verò non eodem modo remittitur. Aliquando (Romanum Sapiensem audis) *vectatio itérque, & mutata regio vigorem dabunt, con-victusque & liberalior potio*. Aliquando lectio amœnior, atque etiam scriptio. Circumspice; domi forísque oblectationem invenies, interdiu noctuque. Tu modò cave, ne pro uxore libelli cubent. Suavis ille torus, quem placida conjux sermonibus deliciisq; suis mulcet: in cujus sinu aut

amplexu maritus respirat. Sed hæc fortassis nimis hilariter : desino. Tu tuus esto, & me tuum amato. Lovanii, vi. Eid. Septemb. ∞. IOC. VII.

EPISTOLA LXXXI. *Frankofurtum.*

GOTHOFREDO IVNGERMANO.

**A** LIENÆ fraudes suspicioni me obnoxium reddunt, mi IVNGERMANE Compellasti me *longis litteris* (ita scribis) idque ante annum: ego sili. Quid dicam? verum utrumque esse; me tamen extra culpam, quia nullas à te vidi. An dissimulem? tum indignus amore & alloquio sim doctorum, in quibus te esse Litterarii isti labores insigniter testantur. Sed absque Dissertatione TAVBMANI fuisset, inhumanus & κακοῦδος haberi perrexissem, & in μακρολογίαν tuam amoris peccare, quam in amore laudo. Poscit responsum omnis epistola, longa meretur. Epistola, inquam, cum perfertur: at cum perit, nullius in culpam silentium venit. Lepidè verò hoc agitis: donum tu significas à TAVBMANO, ille mittit; etsi tu quoque, cum significas, mittis. Itaque & librum & epistolam eodem animo accepi; quasi non minorem gratiam scribentis affectui, quàm mittentis muneri debeam. Hanc nunc igitur tibi dico, mi IVNGERMANE, & per te, TAVBMANO. Tu & ille amare me pergite; & tu perge quoque de Litteris bene mereri. Post *Pollucem* alii aliisque lucem porrò videant; sed illam puram, illam claram, quam ab ingenio & doctrinâ tuâ, & addam, curâ speramus. Nunc nihil ad manum erat, quod submitterem, etsi maximè cupiebam: sed aliàs, & in aliis occasio aliqua erit. Vale, & me addictum tibi  
amoris

amoris nexu habe : cujus ut nomen, sic ingenium  
 Hebræ sacrum esse cupio, & perenne pubescere ac flo-  
 rere. Lovanii, XII. Kal. Junias, ∞. Ioc. VII.

EPISTOLA LXXXII. *Gandavum.*

R. V. LEONI DE MEYERE,

*Præposito Ecclesiæ D. Pharaildis.*

**G**RATÆ mihi litteræ tuæ, grati libelli. in illis af-  
 fectum, in his eruditionem tuam vidi, & insi-  
 gne dicendi genus, quod felici majestate suâ  
 exsurgit, & *λυκιδες* habet melioris Suadæ. Hæc censura  
 mea, brevis, candida, vera. Nam ut manum etiam  
 adhibeam urentem & secantem; parce. Sana hîc ite-  
 rum omnia, & tamquam Hygeiæ quædam sacra; imò  
 florida omnia, tamquam vernantis Floræ picta quæ-  
 dam prata. Languent, nauseant plures hodie; imò  
 sordent: qui tamen, si Diis placet, scriptione superbi-  
 unt. Sed tuus ille calamus, ingenii suavissimâ aurâ a-  
 nimatus, velut Favonius est, Veris pater, & papyri i-  
 stas glebas, ut sic dicam,

---*fœcundo rore maritat;*

*Quæque volat, vernus sequitur color; omnis in herbas  
 Turget humus, dulci violas ferrugine pingit.*

Descriptionem & *μυθολογίαν* Psyche in primis admira-  
 tus sum, & Apulejum meliori jam eloquio indutum.  
 Quæ ille fuscè, tu breviter; & quam ille dilatando  
 laudem, tu mihi constringendo affecutus. Prodeat  
 igitur & hic Panegyricus, & altera mà te corollam Di-  
 VA capiat nitidissimæ elocutionis. Suadeo, imò cupio;  
 & unâ inter tuos esse, quos amas. Ego candoris totus  
 sum,

sum, & in illâ veste, quam sumpsi, persevero. An vanus aliquis, niger aliquis, velut è Calumniæ officinâ nebulas offudit? redierunt ad auctorem. Tu vale doctissime Vir, & hoc auspiciū muneris mei vide. Lovanii, XII. Kal. Iunias, ∞. IOC. VII.

EPISTOLA LXXXIII. *Mediolanum.*

IO. BAPTISTÆ SACCO, V. C,

*Senatui à-Secretis.*

**L**AUDATIONEM mihi: utinam placeat, & apud externos laudem inveniatur nostra Iuventus! Ego simpliciter describere indolem morésque meorum volui, velut in exemplum. Nam tales, si vestri adolescentes sint, quid non efficiant, in omni genere virtutis & doctrinæ? Tales autem esse poterunt, si ad ingenium institutio accedat; illa seria, illa bona, & à bonis. Nunc plerumque Patres luxum, Præceptores otium docent; & pulcherrimè formasse teneras mentes videntur, cùm corruerunt. Nimis multa reprehendenda sunt, si causas corruptæ Iuventutis recensamus. Sed redire ad virtutes, & severum Catonis exemplum licebit, si bonorum vestigia non recusabimus sequi. Boni illi, haud dubiè Belgæ sunt; & esse dices, cùm hoc Encomium legeris. LIPSI O annuâ celebritate hîc parentavimus. O acerbum iterati doloris vulnus! Dixi etiam publicè, & extinctum pro more & mœre laudavi. Prodibit Oratio, & videbis. Cum Venetis jam audio compositum esse. Nos hîc quoque robustam spem pacis habemus, erecti induciis, velut iudiciis melioris ævi. Ecce res humanæ  
quàm



quàm alto consilio diriguntur ! In maximâ tempestate tranquillitas non fallaci vultu allubescit. Voveamus porrò, & speremus. quo loco apud vos nunc res & Littere sint, obsecro sciam. Sed mi SACCE, quid cum Fontano actum, quomodo scriptio mea ultima excepta? A Cardinali nihil postea audivi: nec OLGIVS hætenus venit: an venturus, dubitare incipio. Vale cum tuis. De filiolo quid fieri velim, nuper scripsi. curæ tibi sit. Lovanii. A. D. Kal. Maij. ∞. loc. vii.

EPISTOLA LXXXIV. *Bruxellam.*

IACOBO ROBERTIO,

*Suo*, S. D.

**E**TSI responsum tuum hodie expectem, mone-  
re tamen iterum nunc volo, uti scribas. Heri  
vestes tuas misimus: aderat Epistola WESENBE-  
CIO danda. Hæcine tradita? Ut sciam, meâ & PALÆ-  
STRÆ interest; imò tuâ, si me & PALÆSTRAM amas.  
Ut bene valeas, aliquid age. honesta exercitatio opti-  
mum medicamentum est: sed cum corpori vacas, ani-  
mi quoque ingenii que cura infideat. Legere aliquid  
quotidie & scribere nisi pergis, meliore tui parte  
contabesces. Habes Senecam; & lectio prompta est:  
habes calamum; usurpa. An libenter legas scribasque,  
nunc experiar. Facies utrumque, cum possis omitte-  
re. Litteras à te quotidie flagito. Vale, optimisque  
Parentibus officia mea defer. Lovanii, Eidibus Se-  
ptembr. ∞. loc. x.

O

EPIST.

EPISTOLA LXXXV. *Lugdunum Bat.*

C. V. EVERARDO VORSTIO,

*Medicine Professori.*

**I**N Amici litteris nuper nomen & affectum tuum legere, suave admodum fuit. Illud clarum, hunc blandum, & qui non uno candoris radio me fixit. Sed ego jam antè amare cœperam, ne sic repentè accensum mireris. Cœperam; Patriæ, & Parentum nostrorum, & Doctrinæ tuæ causâ; ut simul vinculum, exemplum, desiderium videas; & fuisse me tuum, cùm esse nondum contigerat. Nunc, quasi adyta etiam Amicitia penetrarim, uti libertate quadam audeo, & rogare, ut meo ductu in Virum amicum benevolentia tuæ rivum effundas. Is MAXIMILIANVS PLOVVERIVS est; ille ipse, quem vides; ille, magnis animi dotibus ornatus, quæ vel à vultu oculisque se produnt. Videre Academiam vestram, videre Viros doctrinâ claros cupit: & à te ecce orditur. Generosus amor virum agit, stimulatque; dignus mehercle, qui & tuâ, & Collegarum ibi tuorum humanitate foveatur. Ego interim beneficium me accepisse arbitrabor. Vale, & à Clarissimo FIENO nostro Salve.

EPISTOLA LXXXVI. *Amsterdam.*

GASPARI DIEMENO.

**N**IHL suavius aut amicus tuis Litteris, mi DIEMENE, quibus in Patriam mihi reditum gratularis. Veni equidem, & profectus sum feliciter:  
Amicos

Amicos reliqui, sed inveni quoq;. Tu profectò meus amor & candor es, & Musarum germen. itaque amplecti vicissim cupio, & videre te, amicus amicum. In me quidem peculiariter nihil est quod suspicias, tantùm quod ames. Homo sum, juvenis etiam, si annos dispungas; magnæ doctrinæ amator potiùs, quàm possessor. Honesta placent, & quibus ad virtutem animus surgit: imò Honesti placent, & qui in omni vitâ philosophari didicerunt, sapere potiùs, quàm scire. Boni mores bonam Famam faciliè conciliant; & hanc ego doctrinam habeo, doctrinâ posse uti: Doctrinam, pellere vitia animi, & in cogitationem venire sui. Hæc Sapientia est; & hanc colo, mi DIEMENE, tamquam regulam vitæ ac magistram. Reliquæ artes tamquam comites aut pedisequæ sunt; neque in istas oculos meos (ut plerique solent) mitto. Thaletem meum nosti; hunc imitor. etiam amasti; in me descendat amor. Sed descendit. DIEMENVVS meus est, & ego DIEMENI: atque à nobis hic affectus cœpit, ut maneat quoque, cùm esse desierimus, in nostris. Filios enim ego jam habeo, & tu habes, aut habebis (voveo;) & heredes hujus amoris relinquemus. Penultimam Epistolam tuam acceperam, & affectu, nō calamo respondi, cùm itineris me cogitatio totum haberet. ignosce, & deinceps severus esse perge in ratione hac Epistolari. De pace quid scribam? Deum rogo, bona, firma, utilisque Patriæ sit: tibi quoque, mi Amice, cui ex animo bene volo. *Laudationem Inventus placuisse gaudeo: habebis mox quoque LIPSII Funerem, quam hîc habui.* Vale. Lovanii, VII. Kal. Julias, ∞. Ioc. VII.

EPISTOLA LXXXVII. *Frankofurtum.*

MELCHIORI HAINSFELDIO GOLDASTO S. D.

**E**T ego, Vir Doctissime, amicitiam istam salutis  
 omine ordior. Salvum enim cupio, quem amo;  
 vegetum robustumque, quem ipsa Musa. Novi  
 SEGETI mei iudicium; nec imposuit. Imaginem tui,  
 Epistolam vidi; eamque geminam, imò gemmeam,  
 lucentibus amoris & doctrinæ notis. Laudes etiam  
 misces, velut stricturas ab animi illo igni; sed quibus  
 pane modestiam meam lædas. Ego ille, quem tu no-  
 minas, aut magnum illum Genium corporis mei  
 contubernio excepi? Planè LIPSIVS si te amavit, ego  
 sum; ac videor ab ipso auspicio adustum affectum cõ-  
 cepisse. O semen bonæ ac duraturæ amicitix, quod à  
 virtute & doctrinâ! Ab utrâque hac te amo, mi GOL-  
 DASTE; & fructum etiam istum fero, quod amor. Sa-  
 tin' feliciter? affectum percipio, quem non sevi; te a-  
 micum experior, quem non feci: nisi tamen fecisse  
 videor, quia amor, & dedisse causam, ob quam amas.  
 A puero huc ivi, ut placerem bonis; & hac semitâ, ut  
 animi ingeniiq; conatu similem me præstare in bonis.  
 si quid profeci, exemplis debeo: sed quia profeci, tuâ  
 aliorumq; benivolentiam provocavi. Hanc nunc red-  
 do Ingenio, Industriæ, & Doctrinæ tuæ, quibus &  
 Litteras jure tuas facis, & Litterarum omnes Mystras.  
 Reddo, & stimulum quoq; addo; istis ut gradibus ad  
 Æternitatē eas. In Petronio quoq; cum fructu publi-  
 co eris: emacula, & florem illum latini oris purum pu-  
 tumq; repræsenta. Scena quædam scelerum, non nego,  
 in hoc scripto: sed quam intueri, cum fructu certè vir-  
 tutis sit. Vibex, ipse titulus, quo tam enormem elu-

viciem

viem severus Arbitrator proscibit. Plerumque mortales ab oculis auribusque removemus, quæ peccamus. Atqui ista alieni ævi vitia sunt, tunc quoque reprehensa: quid si & nostri? maculas Christiani videant, ad quas redierunt. Si reprehendi nolint, saltem in schemate corrigantur. Ego sic censeo; & simul, quia sic jubes, manum admoveo paucis aliquot locis. tui arbitrii censura mea sit. Vale. Lovanii, A. D. Kalend. Decemb. ∞. Loc. VII.

EPISTOLA LXXXVIII. *Madridum.*

ANTONIO FERRERIO S. D.

SILENTIUM meum meritò accuses, mi FERRERI, & tanquam in amore frigus. Quid dicam? Ignem alui, stricturas omnino nullas misi, etsi benignissimâ Litterarum tuarum aurâ adflatus. Ab occupatiunculis nolim ignaviæ meæ velum prætexere: impediri non debui. Sed facilè differt, qui quotidie scripturus est: & omittit sæpe officium, qui procrastinat. Præterea, humanitas tua negligentia ansam præbuit. Nam quia secundis litteris silentium meum reprehensum non fuit, etiam liberius silui. Hem! quàm leniter & amicè mecum agis! quia tardus ego, arbitrii mei responsum facis, & menses tres quatuorve indulges. Vfus ecce sum tempore, imò sprevi limites hosce, sed ut errorem meum damnarem. Dare enim nunc gestio litteras, quia non exigis; & scripturio, cum maximè argumentum deest. Quid fecerim, vides: quia aliud non occurrebat, excusationem contexui. quam si admittis, operam deinceps dabo, ut scribendo placeam; sin rejicis, cura obsecro, ne vicissim

sim fileas. Vale. Quæ mandaveras, subito indicavi:  
& nostra tibi pariter commendo. Quid petam, è  
SANDERIO nostro intelliges, ad quem nunc quoque  
scribo. Iterum vale. Lovanii, x. Kal. Majas. ∞. Ioc. x.

EPISTOLA LXXXIX. *Mediolanum.*

IO. AMBROSIO BIFFIO,

*Sua-vissimo Amico, S. D.*

**A**Ntu censes, Amicissime BIFFI, sine animâ  
corpus vivere? en exemplum; ego talis. Spiro  
exanimis, quia vitali consuetudinis sermonis-  
que tui aurâ destitutus. Quàm suaviter vocis atque  
ingenii nectare imbueres aures pectusque meum so-  
lebas! Bellaria diei, tui sermones; & vespertinæ illæ  
ambulatiunculæ, atque domuitiones, latioris sem-  
per noctis auspicia erant. quid nunc? cogitatione a-  
missæ voluptatis imaginem usurpo, & te mihi præ-  
sentem opto, in stas illas horas: imò ARMIDORVM  
tuum opto, quo desiderium leniam. Perfice felici-  
ter inceptum opus, & Heroicâ carminis majestate  
supra vulgum te effer, monumentum daturus *are per-*  
*ennius*, & quod æternitatem possit provocare. Ego,  
quia seriò ingenium tuum amo, ad magna & te digna  
hortor; digna quoque illo tuo Heroë, quem describis.  
Huic Achilli Homerus esto, tam magno & sublimi  
carmine: sed Homeri tamen Fortunam vince, ut of-  
tendas, in contubernio Musarum divitias esse, &  
quicquid Bonæ Menti error seculi negavit. Felix ta-  
men eris, si clarus fueris: & quandoq; fortunam tuam  
expetent, qui ingenium admirabuntur. Nunc quoq;  
ut impedimenta spernas, ingenio utere. quod agis, re-  
prehendere

prehendere nemo poterit, nisi BIFFIVM BIFFIO invidet. Quamdiu non cedes malis, miser non eris: sed dignus Famâ, si Fortunam contempseris. nam ut illa animum invenit, hominem facit: non resistenti molestissima est: quem dejecit, opprimit. De me quaeris? pro modulo meo vivo; & quia in Patrio solo (Belgicam totam sic habeo) nō omnino infelix, nisi quòd te caream. Bibliothecam instruere iterum cœpi, suppellectilem uxor, divisâ velut curâ. Sic post iter quoque molestiæ sunt; & occupari debeo, ut quiescam. Voluissem autem majorem librorum numerum transvectum esse: ita non prompti hîc omnes, quos reliqui: & Italicorum inprimis penuria est, quibus ut delecter jam magis, absentia facit. Opera omnia TORQVATI TASSI submitti cupio. non potest sine hac face Musæum meum lucere. MARNIVM, & PASTROVICHIVM, & TVRRIANVM meum saluto. Tu vale, & constantissimè me ama. Recuperare videbor animam, si Litteras quàm creberrimas mittes. Lovanii, Prid. Kal. Mart. ∞. Ioc. VII.

EPISTOLA XC. *Bruxellam:*

MÀXIMILIANO PLOVVIERIO, Meo,

*Viro Nobili & Amico.*

VIDE, an uti amico audeam. Quem amo, in occasione occupo. Sed amanti quoque occupari suave est. Hoc age igitur, ut intelligam, quæ deinceps mihi Sparta ornanda. Bononienses dubio consilio suspendere diutius non licet. Sed nec elabi hanc mihi conditionem nunc finam, nisi subsidia, quæ honestè

nestè petere videor, à PRINCIPLE decernantur. Quid  
 opus repetere? Ipsa mora damno est: & nunc aut con-  
 fusi uere Fortunam meam, aut destruere possum. Non  
 repeto, quâ spe huc venerim, quid stipendii Patriæ  
 causâ deseruerim, munerisque Lipsiani. si præter  
 mercedem ab Ordinibus adsignatam, *mille Florenorum*  
*honorario* labores meos PRINCEPS æstimaverit, sedem  
 figam, nondum confirmatam, & Belgicæ Iuuentuti  
 ætatem impendam: sin minùs, & minoris ipse vide-  
 bor, aliorum sanè liberalitate uti licebit, sine Patriæ  
 aut PRINCIPIS offensâ. Nec ego oneri cuiquam esse ve-  
 lim, si supra labores præmia videantur: doleam certè,  
 & temporum injuriam culpam, majori in pretio alibi  
 Litterarum optimarum cultum, quàm in Patriâ meâ  
 esse. Impediet, scio, Optimus PRINCEPS, nec vinci ab  
 exteris liberalitatem suam patietur. Pacem tractat: &  
 hæc in primis Pacis ornamenta sunt; Eloquentiæ, in-  
 quam, studia & Humanitatis. Conatum meum in  
 his studiis promovendis amat quoque; neque hunc  
 indotatum, sublatis armorum impendiis, esse volet.  
 Sed hæc petitio PRINCIPIS statim explicanda est. Vi-  
 deant Amici, an ex re Patriæ sit, in Patriâ me manere;  
 an ex meâ, conditionem Bononiensem acceptare.  
 Liberos habeo, & Posteris ordior: quibus si solum  
 relinquam nomen, negligenter prospiciam. Itaque  
 res familiaris constituenda est: sic alendi liberi, ut  
 præter vitam & institutionem, aliquid etiam Parenti  
 debeant. Stipare opes, meum profectò votum non  
 est: parare vitæ subsidia, officium est. Quibus modis  
 res nostræ per hæc bella attritæ sunt, palàm est. Boni  
 esse, fideles esse Regi, quàm divites, maluimus. Iacta-  
 ti sumus: me portum quærere, præsertim ubi in Re-  
 gem

gem



gem aut Principem nō peccem, æquum esse arbitror. Sed agi hæc à Præside RICHARDO TO poterant, ex Principis ipsius destinatione: nunc necessitas non permittit. Faciant alii; &, sive manendi, sive abeundi potestatem impetrent, perennem à me meisque gratiam relaturi. Ergo ab illis, imò à te pendeo; tuus futurus, sive maneam, sive abeam. Brevem me horæ momentum facit, & cogit abrumpere. Vale mi FRATER, & salve. Lovanii, XII. Kal. Iun. ∞. IOC. VIII.

Scorsim ad Ampliss. D. ROBIANVM scripsi, & negotium insinuavi. Bono remigio rem gere. Vberius scribam, ubi tuas accepero.

## EPISTOLA XCI.

MAGNIS, DOCTIS, AMICIS,

*Quos Mens, Manes, Munus I. LIPSI tangunt.*

**A**TRATVM, & simul *Candidatum* esse, difficile est: ego tamen colorem utrumque sumo. Illum Noctis, postquam Sol Litterarum, I V S T V S LIPSIUS occidit: hunc Diei, postquam accendere ego ausus publicam honestæ *Petitionis* facem. Ego? imò ignis, id est, Amor, sive Desiderium Patriæ, & Exstincti. ut illi *Professor* & *Civis*, huic *Successor* veniam: breviter; ut in locum vicemque LIPSI PUTEANVS. Etiam dico? Auditor, in Doctoris; imò verò Filius, in Patris. Sanè uterque ille mihi; & ego illi uterque fui, amabili nexu & jure, in Bonæ Mentis, Bonæque Famæ Sacra adoptatus. Itaque si Doctorem Auditor respicio, Disciplina mea est; si Filius Patrem, Hereditas. Mea: sed illa Bonæ Mentis, Bonæque Famæ. Cùm ve-

P rò Voce

rò Voce & Stilo Doctorem imitari, laudabile; Patrem Vitâ Moribúsq;e, piúm sit; utrumque meum: cur non & meum etiam, Munere & Professione postumâ Doctorem Patremq;e repræsentare? Liberiùs loquor; nec Petentis ista, sed Exigentis stili vox est. At sic mortales sumus, frontemq;e sumimus, cùm ad vota animus præceps. Ego capere hanc provinciam validè cupio; quia cupere honestè cœpi: non ut doceam ( id enim nunc facio ) sed ut in illâ Scholâ, ubi quandoque didici. Ambio munus, quod jam etiâ oboeo; sed quod obire in Patriâ, Patriæ causâ, malim. Apud Mediolanenses totum jam lustrum *Professor publicus Eloquentiæ* fui, publicè scripsi; etiam titulo *Historiographi* à Maximo Rege donatus; & quid nisi destinatus *Thaleti* meo, in Successionē? Favete ô MAGNI, DOCTI, AMICI: vidit ille vivens, aut prævidit, Successorem suum, & lætatus est; ad similia munera provectum, quem docuerat; ut huic tandem concederet & consignaret facem, quem provexerat. Plures quidem è magnâ illâ Disciplinâ prodierunt, ipsi magni; sed plerique tamen ad alia studia, sive negotia translati. ego, inter paucos, totum mihi LIPSIUM imitandû proposui, quem aliquando darem; imò, quem jam dedi Exteris, etsi nondum adultis illis Doctrinæ lineis sive umbris. *Nec quidquam omnium est, quod possit in primordio sui perfici: sed in omnibus fermè antè est spei rudimentum, quàm rei experimentum.* Itaque robusto illi Spartanorum choro nunc quidem accinere non sustineo:

Ἄμεις ὃ γέσμεν. αἰ ὃ λῆς, αὐγάσσοιο.

Potius isti, quamquàm infra ingenium meum posito, & annos:

Ἄμεις ὃ γέσσομεθα πολλῶ καὶ βρογες.

Honestâ ingenii flamma ingenti fiduciâ alenda est; & tollen-

tollendus ultra exemplum conatus, ut ad mediocritatem saltem imitatio procedat. Ego alo, tollo; imò alam, tollam ope vestrà; & in ipsâ Patriâ magnæ illi, quæ fuit, Arbori planta succrescam. Atque sic longo satis & libero schemate *Petitionem* explicui. addo vortum; ut volentibus vobis & benignis. Tales eritis, & tales etiam Sereniss. PRINCIPES facietis, ut finum pandant, Civem recipiant, æterno cultu Patriæ, Sibi, Vobis mancipatum. Valete Viri MAGNI, DOCTI, AMICI; & Litterarum, atque etiam LIPSII nomen, carum in Alumno ejus habete. Scripsi Mediolani, XIII. Kal. Maij, M. DC. VI.

EPISTOLA XCII. *Leodium.*IOANNI PVTEANO, *Fratri meo.*

GRATÆ mihi tuæ litteræ, mi Frater, in quibus desiderium mei tuum video, & doctrinæ. Video? imò tempestivis nunc flabellis accendo. Silui enim per hos menses, & velut ignescere animum ingeniumq; tuum sivi. In adolescentiæ ac studiorum etiam limine es, primâ, ut ita dicam, bonæ mentis aurâ imbutus: digerere crebriores istas scriptiones, & admonitiones non potes. Ut lanæ quædam & picturæ secundum colorem non imbibunt, nisi priori exsiccato: sic nec ingeniū iterata illa præcepta, nisi cum pausâ. Nunc igitur faces iterum submoveo, & ad virtutes indole tuâ dignas, non epistolâ, sed toto libro hortor. LAUDATIO IVENTVTIS BELGICAE est: hanc non leges tantum, sed exprimes, eo ipso ordine, quo digessi. Facies, mi Frater, sed paullatim: ac primum, verecundiæ quodam auspicio,

*Eradenda Cupidinis**Pravi sunt elementa;*

ut virtutis doctrinæq; viam expeditiùs calces. Quos manu ductores illic nactus es, boni sunt: sequere. Sed pervenire si vis, Græcam quoq; linguam familiarem tibi redde; illam haudquaquam difficilem, si amare cœperis: amare autem non poteris, nisi discas. Pro ingenio industriam assume, ut non minùs Litteris, quàm annis adolescas. Maturum te quamprimum esse cupio, ut transferam; meâ, velut summâ manu formandum. Vale. Lovanii. Postridie Kal. Octob. ∞ .I.CC.VII.

EPISTOLA XCIII. *Lugdun. Bat.*

DANIELI HEINSIO V. C.

*Eruditionis Delicio.*

**P**ARVM te constanter amare atque æstimare videar, Clarissime Vir, nisi benignè silentium interpreter. Ego scribo tamen; præsertim occasione tam bellâ, quæ ex improvîso nunc sese offert. MAXIMILIANVS PLOVVIERIVS, vir egregius, & fortassis in Thyrsis jam tibi meis lectus, ad vos abit, Academiam vestram, & in eâ te præstantissimû Musarum decus visurus. Quod de humanitate tuâ eximiâ spondere ei audeo, rogo facias; & virum amore tuo complectaris. Tam meus est, ut cum eodem abire videar; & egomet me transferre in elegantissimum illud amici pectus. Itaque hujus quoque ore sermones ego meos promam; hujus auribus tuos bibam. Planè in PLOVVIERIO præsentem habebis PVTEANVM. *Virgulam Divinam* quàm videre haveo! mitte, & me bea.

*De*

*De Laconismo* nuper ausus sum: bene, si tuo omnino calculo non condemnor. Vale, vive Clariss. Vir, & per belli istas ferias brevi aut nos vise, aut expecta. Apud me jam tibi hospitium paratum est. Veni, & frue: ac nisi tuâ sponte, ducendus es. Lovanii. Prid. Eid. Maii, .∞. IDC. IX.

EPISTOLA XCIIII. *Antuerpian.*

R. V. AVBERTO MIRAEO S. D.

**R**ESPONSVM pridem debebam, & novis ecce litteris provocor. Quid dicam; nisi fecundi Amoris hunc rivum esse, & à puro ac perenni fonte? *ELOGIA*, non te fallo, mihi proba, & digna recipere quod loquuntur. *ELOGIA* sunt: & tu laudandus, qui sic laudas. Quantum Belgis defers, ab Exteris & omni Posteritate expectabis. vivet industria, quæ vitam tam multis dedit, aut reddidit. Tot viri velut stellæ hæctenus obductæ nubibus, latebant cælo; & qui omnibus conspicui mortalibus esse poterant, ne à suis quidem sciebantur. Tu felici conatu impedimenta pellis Famæ: reddis ingenia nobis, quia celebras, & infers iterum cælo nomina, quia ostendis. Quid amplius? cùm omnia facis, te quoque reddis immortalem. Maeste! vivet iste liber, in quo tam multi vivent: & ego tot jã volumina accepisse videor, quot unâ centuriâ Scriptores nominantur. Ditas Bibliothecâ meâ, nec oneras. Amplius certè Belga Belgæ dare non potuit. *MORELLAE* Imaginem vidi: vidit & illa Mea. Sed quã opportunè? cùm publicâ oratione ostensura esset, quãtum directione meâ profecisset. Etenim hausit stimulos, ut expressû virginis vultû curiosè ex-

ploraret; & velut æmulatione quadam accensa, Ergo sola, inquit, Litteras non tracto? commasculo animum: in viâ arduâ aut ignotâ habere comitem, id verò jucundum est: ostendam ego, dignam imagine MORELLAM esse. Et ostendit profectò. Dixit enim tam constanter, ut virilem majestatem voce gestuque vinceret; tam venustè, vt Facundiæ leporibus formam commendaret, vel ideò pulcherrima, quòd sic loqueretur. Sed amplius non laudo, quam institui: tales quoque si Auditores meos faciam, ratio constabit muneris mei, ac priscam sibi Latinæ Eloquentiæ præstantiam Iuventus Belgica vindicabit. I. LIPSI O Anniversariâ Oratione parentavi, & affectum meum testatus sum. De frequentia noli quærere: unus abfuiſti. Sed te quidem publica negotia excusant. Amplissimum HARTIVM hac occasione veneratus sum; Virum

*Blanda cui vultus gravitas, et mite serenâ*

*Fronte supercilium, sed pectus mitius ore.*

LAUDATIONEM Iuventutis nostræ à WOVERIO accipies, quam ut videas censeasque, cupio. Vale. Lovanij, Kalendis Maij, ∞. 100. VII.

## EPISTOLA XCV.

IOANNI HOLLANTIO,

*Amico intimo S. D.*

**E**RGO ades! ò me felicem! & post tot annos amicum illud pectus osculabor? iterum felicem! Sed nec ades, quem non video, aut manibus istis stringo. Dicam liberè: jam impatientius desiderium tui fero, sic vicini. Egon' autem ad te? Hem! volem,

volem, & ventos ipsos vincam, nisi vincla me impediant, ipsumque muneris mei saxum. Hoc me tenet, nec ponendum, nisi cum feriæ permittunt. Itaque istuc jam non venio, mi HOLLANTI: & alia etiam causa est, ne ad nuptias, epulas, molestias. Mex vires mehercle nequaquam aptæ isti palæstræ, in quâ qui maximè madent, palmam ferunt. Consuetudinem novi, sed & naturam meam, sobrietati factam. Si inter temulentos sedeam & pernoctem, inter hilares garriam ac tripudiam, maculas suas nec mens nec valetudo effugiant. In conviviis hujusmodi (promiscuè dicam) mera & molesta mora est; præsertim quando ad luxum & pompam fercula sunt; nec ut gustes solum, sed ut spectes, posita. Quasi & oculis paretur cibus, exornatur. Mensa, ambitionis scena quædam est: & jam divitias dapes indicant: aurum & argentum cenamus: lautifumus, si immensum consumimus. Hos mores corrupta alibi vitii indoles induxit; & divitijs, tanquam otiosis, ausa deinceps favere. Tu mi Amice, in his jam sacris non minùs Sapientem, quàm Paranympum te præsta: optimam lætitiâ in modo pone.

*Μέτρον δ' ἐστὶ πάντων ἀρίστον.*

Luxu qui ostentat opes, aut frangit, aut dedecorat. Magnas vires, scio, Fortuna vobis dedit: Modestia administret. Hodie ignobiles ac sordidæ, etiam plebeio ritu, nuptiæ sunt, quæ semissem non absumant dotis. Hoc splendore scilicet faces lucent, thalamus fulget, liberi quærantur: breviter, superbum Veneris auspici-um est. Eia spargite nuces, istæ profectò nugæ sunt. Tu, ut dixi, amolire: frater fratri esto, id est, ad modestiam ductor. Ego FELICITER, FELICITER ac-

P 4 clamo,

clamo, Liberos voveo, & perennitatem. Ponat pudorem virgo, vocari mulier amet, ut mox etiam mater. Cùm licebit, ad nos venies, me, & meã, & meos quoque videbis. Venies inquam, & *συνπαθείαν*, quam describis, in me tuo invenies. Salve mi Frater. Lovanii, x. Kal. Nouemb. ∞. 100. VII.

EPISTOLA XCVI. *Lovanium.*

*Præstantissimis Viris,*

IACOBO BAYO, *Theologo Eximio,*

GERARDO CORSELIO, *Iuriconsulto Clarissimo,*

THOMÆ FIENO, *Medico Expertissimo,*

*Academiæ Lovaniensis Luminibus.*

QVos novi & colui, nunc familiari scriptione alloquor: te, Eximie BAYE; te, Clarissime CORSELI; te, Expertissime FIENE. alloquor autem, paullo post visurus; ut quantum verbis promo, cultu expleam. Nam ecce ex almâ & beatâ Italiâ in Belgium, imò Lovanium redeo; sed in antecessum epistolæ velut alis, animum transveho, & lumina Urbis & Academiæ veneror, candore, virtute, doctrinâ, humanitate, clara. Splendetis profectò, & resplendistis in hac temporum nocte, & cùm longa Discordiæ Bellique tempestas universam Patriam involve- ret, latissima Pacis studia, vnius saltem urbis mœnibus securi potius quàm tuti coluistis. Fecêre & Symmysta vestri, easdemque ad aras Tranquillitati litaverunt. Sic Bello didicimus, quod æstimare Pace vix potui-



potuimus, Musarum & Quietis domicilium unicum, Lovanium esse. Huc igitur reversurus sum, ad Vos, id est, ad Musas & Quietem. In bellum & discrimen ibo, sed extra metum & calamitatem consistam : facturus quod facitis, suave ducam, bello & discrimine non cingi tantum, sed affligi. Optimo Serenissimoque PRINCIPIMEO placebo : placebo quoque Academiae vestrae & Vrbi, quam utramque ob causam, quam dixi, & quam dicam, amo. Hæc se blando & velut natali nomine insinuat, trahitque: illa beneficio. Vixi enim in Vrbe vestra, tanquam patriâ, cum parem quoque situm & faciem\* communis appellatio includeret: in Academia, tanquam optimâ, cui animi culturam debeo, id est, meliorem originem atque ornatum mei. Hausi olim cum Litteris amorem amœnissimi loci, quem deliciis omnibus mira Naturæ indulgentis benignitas dotavit: & eas in hoc loco Litteras hausi, quibus Musarum Genius nomen ab Amœnitate dedit. Sic verò ut animum eundem absens industriâ colui: sic memoriâ locum. Absens igitur anhelabam votis, quò nunc tandem perductus videor, quia destinatus. Sed supra vota etiam Munus accessit, cui destinatus; ut, si tantum in me virium, præclarum IVSURI LIPSII, Mystagogi mei, munus ascriptivâ operâ adumbrarem. Nam postquam crudo fato è rebus ille humanis exemptus, benignos in me oculos Patria Princépsque coniecerunt, ut Civem suum, & Academiae vestrae Alumnum, alieno beneficio hætenus Professore, suum facerent, ac velut plantam adoptarent in locum arboris nuper extinctæ. Atque hoc in negotio Numinis consilium sive providentiam agnosco, quâ jam tum cum Iurispru-

\*Vento.  
Loven.

Q

dentia

dentia fontes adolescens libarem, & pereni tuo rivo,  
 Clarissime CORSELI, publicè privatimque me pro-  
 luerem, à severiori illo studiorum tramite ad Musæ &  
 blandioris Suadæ ἀσκητήριον reductus sum; neque Genio  
 meo reluctantante. Vtramque illam ingenti desiderio  
 amplexus, studiorum etiam fructum sperare cœpi, &  
 venerandæ Antiquitatis thesauro impensius delecta-  
 ri. Ivi in Italiam, & bonorum doctorumque iudicio  
 favente, bonæ Famæ limites accessi: ut paucis dicam,  
 Professor, & Historiographus Regius apud Insubres  
 factus sum; imò, tanquam aliquid jam Litteris contu-  
 lissim, in numerum Civium atque Patriciorum Ro-  
 manorum cum universâ posteritate meâ adscriptus.  
 Sed his velut gradibus viam mihi sternere Deus vo-  
 luit ad Urbem & Academiam vestram, ut honesto ti-  
 tulo ac munere in sinu tandem Musarum quiesce-  
 rem. Prorsus exercere in Italiâ ingenium meum, &  
 roborare voluit, ne voce stiloque in Patriâ aliquando  
 fatiscerem. Factum gaudeo; Deum sequor; ad vos ve-  
 nio, præstiturus quicquid hætenus conatus sum. A-  
 pud exteros quidem ardua docendi dicendique pro-  
 vincia est; quippe apud severos alienæ industriæ arbi-  
 tros: sed ardua etiam apud Belgas, qui in suos acriores  
 esse solent; qui vile putabunt aut exiguum, quicquid  
 post LIPSIUM novi Professoris industria molie-  
 tur. Sed quid ago? impius ego, si iniquiorem mihi Pa-  
 triam, quàm Italiam, censeam. Difficultatem condi-  
 tionis istius vincet felicitas; & placebo, si remorâ indu-  
 stria nō inveniet. Suscipiam Munus, quia difficile; &  
 quod fortassis desinat esse, nisi suscipiam. Desinere  
 autem non potest, nisi ut damnum Academia sentiat.  
 Nemo ædificium ruere velit, quia anteris sive pila de-  
 fecit:

fecit; novam suffulcit. Litteræ cum uno viro occumbere non debent. Doctorem habuerunt LIPSIUM, ut durarent. Sive necessitatem respicimus, Disciplinarum omnium substructiones & tibicines sunt; sive voluptatem, deliciae atque elegantiae sunt. Vestro exemplo utar: sic consistitis ipsi, Viri Celeberrimi, certo & securo gradu: sic ornatam melioris doctrinae majestatem ostenditis, & delicato alioquin seculo placeatis. Non recenseo quæ scripsistis, aut scribitis: quia mitiorem Musam gravioribus studiis miscuistis, quia rebus stilus accessit, perenni memoriâ apud Grudios, omnesque homines, BAYI, CORSELI, FIENINOMEN erit. Alite, imò augete hanc Famam, hunc Academiae sacrum velut ignem; & juventutem sic exultum robustiore Doctrinâ ite; ut Litteras, id est, ornamenta æstimet, & Litterarum Professore. Adnitar ego quoque vestro auxilio, exemplo Lipsiano; vestro favore, munere Lipsiano; ut, qui meo adhuc damno (si rationem stipendii computem) Italiam desero, cum Patriæ fructu æstimasse Urbem & Academiam vestram videar. Præmia mox laboribus accedent. Sic vos jam Amicos cupio, quos olim novi & colui: in numero vestro esse, quos satis amare non videbor, nisi venerer. Sed te seorsim nunc compello, Doctissime FIENE, egregium Medicinæ columnen, & à SEPTALIO Salutem, quam dare aliis arte & felicitate tuâ potes, nuncio. Nôsti virum, & quo in me affectu fuerit: ut tu nunc esse eodem velis, cupit ipse, ego voveo. Homo sum, & morbis igitur obnoxius: Litteras tracto, & sic corpore (ut quidem hanc auram expertus sum) imbecillior, dum illam potissimum colo partem, quâ homo sum, & divinæ naturæ capax. Ergo tu

Q 2

vale-

valetudinis meæ curam geres, tu SEPTALIVS, tu ipse Æsculapius meus eris; & ut multorum simul vices affectumque expleas, Salus.

*Ἰατρός γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντιέξιος ἄλλων.*

In morbo magnificus etiam esse ausim; adhibere Medicum, quem jactare possum; æstimare valetudinem, ne cum plebe censear. A te verò curari, vel gloriosum puto; cui Principis non unius incolumitas feliciter cōmissa fuit. Breviter; quantus sis, quantumque scientiâ ac peritiâ præstes, ignorare nemo potest, nisi qui aut ægrotavit nunquam, aut Æsculapii Proceres non recensuit. Nunc quod tu præstare aliis soles, apprecor, Vale: imò, valete. Belga veniam, Civis, Amicus. Mediolani, xvii. Septemb. ∞. 100. vi.

EPISTOLA XCVII. *Bruxellam.*

FRANCISCO KINSCHOTIO V. C.

*Finantiarum Grapbiario.*

**Q**UIS Amoris & Humanitatis ille thyrsus? equidem percussus sum, tuus sum; & esse cœpi, ex quo tu bene mihi velle. Adultum affectum epistola tua indicat. nam quasi amare leve sit, etiam amasse te ostendis. O felix auspiciū! ô duraturum etiam nexum! ac de fide ejus dubitare piaculum sit, qui quod promittit, præstitit. Amaturum te scio, qui amalti, priusquam affectum ostenderes: quasi dicam, priusquam amares. Sed nominis non Famam mei dicam, sed Fortunam accuso, quæ Amicos mihi conciliat, nec indicat; quæ facit, sed quasi invidet. Ergo nihil Fortunæ: totum te tibi debeo. Humanus & simul  
Benefi-

Beneficus fuisti. Sine Humanitate Amorem orsus non es; sine beneficio non aperuisti. Quid repono? Amoris fœnus, cultum obsequiumque; & inter Amicos tuos censerì gloriosum duco, qui fui, antequam censerer. Vale Astrææ, Eloquentiæ, Virtutis egregium decus, & vive. valeat quoque vivatque ROSAEVS noster, cultissimi ingenii juvenis; vivat, inquam; ut magnum (ita voveo) surgentem illum è spinis Florem videamus. Lovanii, XII. Kal. Octob. ∞. IOC. VIII.

EPISTOLA XCVIII. *Lovanii.*

PETRO CASTELLIO, *Viro Amico,*

*Græcæ Linguae Professore Publico.*

**V**T Ambulatiunculæ hæ nostræ quotidianæ sunt, λόγοι, καὶ μελετήματα; honestum otium feliciter occupamus. Quasi & amœnitatem Sapiëntia amet, σπουδαίει maximè sumus, cum suaves; serii, cum remissi. Scholæ fructum ipsa hæc mœnia, hæc præta, hi colles habent. Quid ampliùs? meus, & velut αὐτεξέσιος esse incipio, quoties è publico lætissimam illam solitudinem subeo, quam tu unus frequentiam facis: meus, quoties latus mihi claudis, quoties gressum unà profers, & sermones aut seris, aut colligis. Mehercle vana & popularia nunquam generosiùs contemnit animus, quàm cum sic assurgit, cum irreprehensâ libertate discutit,

*Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo*

*Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, & unda.*

Hæ Ambulatiunculæ nostræ sunt, λόγοι, καὶ μελετήματα

Q 3

cũm

cùm nihil videmur agere, omnia agimus; cælum, terram, supera, infera, totamque Naturæ vastitatem lustramus. inde ab infinitâ rerum luce, ad umbram, à divinis ad humana conversi, nos & nostra inspiciamus, præcepta vitæ morumque meditamur, & solatia in omnem Fortunam. Interdum comites quoque libelli sunt, & à veteri ævo suggerunt, quæ meditationem augment, quæ vanitatem è pectore & cupiditatem expellunt. Sic imus & loquimur, extra turbam & pompam: sic quoque sapimus, & latissimâ solitudine felices, totam Fortunæ magnificentiam ab oculis removemus. Trahant alii gregem famulorum aut clientum, familiæ luxum, & ambitionis firmata: Modestiam nobis nostra studia præscribunt. populari aurâ Minerva non inflatur. Nimis ille mollis, qui solus esse non potest; qui prodire erubescit, nisi multorum pedibus vestigia premat. Hæc tamen mortalium vota sunt, hi conatus, ne tranquillo otio fruantur. Ego sanè quotiescùmque è limine pedem effero, magnus mihi videor, si nemo sequatur. & quando tu accedis, juncto velut pede calcare possum, quicquid alii admirantur. Vides quanti mihi consuetudo illa tua facienda sit, quam omni humanitate & benevolentiam temperas. Vivere lætius & animosius quoque cœpi, postquam ingenio & eruditione tuâ frui. Etenim venisti ad munus hoc Professorium, ut suaviores mihi Litteræ essent; & ad meam Amicitiam, ut felicior vita. Studiorum velut consortem nactus, extra nubem caput extuli, liberumque hausi cælum. Tuus ille mihi vultus Favonius fuit, sed pectus Gratiarum & Sapientiæ domicilium. Ver in annis, maturitas in moribus; istic ridētis adhuc ætatis Florem venustissimâ lanugine, hinc

adultæ

adultæ doctrinæ & prudentiæ dotes fœcundo ingenio representant. Iam vigor animi cautissimâ modestiâ circumscriptus, aliquâ severitate mansuetudinem roborat: ut planè extra periculum candorem habeas, quem promissis, non prostituis; extra invidiam aut calumniam mores, quibus optimus quisque delectetur. Mens, velut thesaurus est; si negligentiè habetur, & extra secreti arcam cunctis patet, damnum aut calamitas propinqua est. *ἀποπον, τὴν διάνοιαν φανεράν ἔχοντα περιπατεῖν.* Nisi pectoris quædam arcana sint, majestatis omne pondus dicta factaque ponunt. Cautus potius, quàm clausus, dubium cujusque exploras sinum, in quem tutò affectus derivetur. Non vis amicum, nisi quem æternùm colas; ratus, infidum esse vinculum, quodcumque rumpi potest. Severitatem induis, ut fucum amoliaris. Eruditio tamen & humanitas prompta est; & fundis ingenii lucem, ubi caligo repugnat. Etiam in sordes radii Solis diriguntur: vincit tantum jubar, quicquid respicit. Quid amplius dicam? bonus es, doctus es, candidus es; nemo objiciat nubem, & serenum inveniet. Non omnes amici esse possunt, amare tamè possunt, si noverint. Ergo aut nō te novit, qui non amat; aut certè æstimare ingenium tuum nescit, qui eruditione non capitur. Vetera & simul nova explorata habes; seria & curiosa: etiam libros scriptoresque tibi familiares, qui olim ac nuper floruerunt. Si linguas censeam (sed eruditas,) Romane suam, & Pelasgi suam dicunt; & cùm Græcas doceas Litteras, educatus in Latio videris. Scribis graviter & exactè; loqueris, tanquam scribas. eloquentiâ seculi nostri non contentus, priscam illam solutâ & strictâ oratione majestatem reddis. Sed minora ista:

Q 4

surgis;

furgis, ut dixi: PHILOSOPHARI tuum est : tuum, τὴν ἀρετὴν ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν προφάινειν. Sic quidem, quicquid doces, facis ; & ut maximè Epicetum tuum inculces, exprimis. Eja, pulcherrima hæc industria, cùm ῥήματα explices, ἔργα conjungere: Græcas non Litteras tantum tradere, sed scientias;

*Quæq; docet sapiens braccatis illita Medis  
Porticus.*

Iterum, pulcherrima & utilissima hæc industria, creditos, & simul bonos reddere, quos muneri & disciplinæ tuæ Patria commisit. Sic perge, & qui bene de Academiâ & Republicâ mereris, laborum præmia exspecta. Ego breviter sic te alloqui volui, ut amorem exprimerem: alloqui, tanquam satis non diligerem, nisi laudarem. Imaginem puta: amicum depinxi, & quem satis nūquam video, cogitatione usurpavi. Imò verò imaginem puta: te tibi proposui, ut quem imitari posses, haberes, & quem vincere. COMVM mihi gratiorem doctissimæ tuæ ΝΟΤÆ faciunt: prodeant, & ingenii scriptioisq; hac faculâ sermones Cimmerios illustra. Sed heus, te voco: si nescis, filiolo auctus sum, & jam quintum habeo, quot Sapientes fuisse Plutarchus scribit, Περὶ τῶν εἰ τῶν ἀελφοῦς: Cleobulum enim Lindiorum tyrannum, & Periandrum Corinthium, vim fecisse famæ, & sic reliquis ascriptos esse. Veni, puero stellas disponemus: sed tu Genethliacum quoque para. Serio, serio: me, filium, & numerum ipsum cogita, qui peculiari ratione Apolline dignus est. quinque enim nominibus ille appellatur: Pythius, Delius, Phœneus, Ismenius, Leschenorius, ut apud eundem est Plutarchum: πύλιος μὲν ἐστὶ τοῖς ἀρχομένοις μανθάνειν καὶ διαπυθάνεσθαι: ἀλιεὺς δὲ καὶ φωνᾶσι, οἷς ἔδη τι ἀλλεῖται καὶ ἐποφάινεται τῆς ἀληθείας: ἰσμήνιος δὲ, τοῖς ἔχουσι τὴν ἐπιστήμην. Λεσχινόριος δὲ.



ἔξ, ὅταν ἐνεργῶσι καὶ ἀπολαύωσι, χρώμενοι τῷ διαλέγεσθαι καὶ φιλοσοφεῖν πρὸς ἀλλήλους. Quo in loco an rectè erat: ἐπισήμην καὶ λέσχην. ὅριθ· δὲ, obiter vide. Ut faciliùs verò Musæ furorè colligas, & carmen mediteris; SYNCHARISTICON hoc mitto, IUSTO meo scriptum, cùm in dñas primùm luminis oras venisset. Auctorem titulus indicat, virum Doctissimum Clarissimumque, Mediolani olim mihi familiarem, cui Helvetiorum vetustas, & Gentis Austriacæ æternitas debet. Salve. In Muséo meo. XIII. Kal. Sextil. ∞. 15C. IX.

FRANCISCI GVILLIMANI  
SYNCHARISTICON

AD

E. PVTEANVM & MAGD. TVRRIANAM,

*Felices Conjuges,*

IN NATALEM IUSTI CÆCILII  
Filioli Primogeniti.

**T**Andem recessit atris  
Infesta Hiems procellis,  
Vultuq; Ver sereno  
Exhilaravit

*Nostratis orbis ambitus.*

*Iam sumptuosa tellus  
Novum induit decorem,  
Blandum ofciat teporem,  
Et genitili*

*Promittit auctu germina.*

*Favonius remisso*

R

Peram-

Perambulans volatu  
 Campos, vireta, silvas,  
 Sugit hiantum  
 Florum efficaces halitus.  
 Ducunt aves choreas  
 Volubiles per auras,  
 Frondentium & reducta  
 Premeditato  
 Urgent susurro vallium.  
 Et arbores resumunt  
 Rursum comas caducas,  
 Et viridi medullas,  
 Frigore pulso,  
 Complent liquoris intimas.  
 Gemmas, & uniones  
 Letis novam ad coronam  
 Et Libero & Camenis  
 Palmite fundit  
 Amica vitis vatibus.  
 En & tibi, mi ERYCI,  
 Nixu hercules beato  
 Pulcrum extulit puellum  
 Vite feraci  
 Nil Vxor infecundior.  
 Salve sacer puelle,  
 Dulcis puelle salve,  
 O pluribus cupite  
 Pusio votis,

Divis

*Divis benignis nascere.*

*Astris caput secundis  
Infer, caput venustum;  
Vitalibus medullis*

*Imbibe succos*

*Hos insolentis aëris.*

*Quem te rear futurum  
Tandem, ô sacer puelle!  
Nil contuor profanum,  
Siquid acutum*

*Mens vatis augur inspicit.*

*En Gratia ut labellis  
Mella inserunt; virenti  
Ut gestiunt coronâ  
Cingere cunas!*

*Latere stirps PVTEANICA.*

*Musæ assident, moventq;  
Dulces lyræ canores,  
Et præscia futuri  
Fata recludunt.*

*Favete linguis, auribus.*

*Quem molliter jacentem,  
Lateq; cespitantem,  
Isthic licet tueri,*

*Surget in auras,*

*Ut palma quam nutrit liquor.*

*Non patriâ ille tantum  
Virtute notus, omnem*

Circumvolabit orbem,  
 Quà patet unda,  
 Quæ claudit orbis terminum;  
 Sed proprias per artes  
 Se tollet, irremisso  
 Quas pectoris labore  
 Sub penetrati  
 Recondet, & mox efferet.  
 Ne conferat se ad illum,  
 Qui nomen invidendum  
 Tulit peritioris;  
 Ni sibi palmam,  
 Quam fortè habet, tolli velit.  
 Ut hic viret corymbus,  
 Primum à parente raptus,  
 Ederaq; ut hæc corolla,  
 Quâ tibi sacrum  
 Circumdo jam nunc verticem:  
 Sic laude sempiternâ  
 Mundo, & tuis virebis.  
 Succresce nunc beatus  
 Sub Patris almâ  
 Matrisq; tutelâ puer.  
 Favent tibi Camæne,  
 Parnassiusq; collis  
 Tibi viam patentem  
 Sternere gaudet,  
 Iugumq; amat submittere.

Sic

*Sic Musa, sic Apollo  
Firmavit, & sororum  
Sanctus chorus; nec ortus*

*Addita primo*

*Bellona quidquam ausa abnuvit.*

*Fortem tamen sarißam,  
Spatam & sponondit ipsa,  
Si militaris ardor*

*Vertere mentem*

*Ad arma possit Martia.*

*Maçtè ò beata proles,  
Novamq; post Parentem  
Labantibus Camænis*

*Adde columnam.*

*Sic prabeat semper tibi  
Plenas nutrix papillas;  
Sic usque te benignus  
Inebriet sopore*

*Somnus amico.*

*Applaudè gens PVTEANICA.*

*Sic basium petenti;  
Alludies parenti;  
Sic brachiis eburnis*

*Ex gremio almo*

*Per colla repas lactea;*

*Genasq; mollicellas,  
Decusq; purpuratum  
Dissuaviatus oris,*

*Protinus*

*Protinus altum*

*Te rursus abdas in sinum.*

*Sic latus usque ducas*

*Ad ultimam senectam,*

*Quicquid tibi albicanti*

*Vellere Diva*

*Nunc incoharunt volvere.*

EPISTOLA XCIX.

*Antuerpiam.*

PETRO SCHOLIERIO, *Viro Amico,*  
& *Familiari.*

**F**ELICI fidere te venire cupio, & mox beato Musarum otio frui. Melius diviniusque ingenium tuum, quàm ut in hominum strepitu, & votorum æstu consenescat. Statues rebus modum, & ut nihil Fortunæ debeas, te ipsum æstimabis. Non magni omnes, qui in re magnâ: opulentissimi, interdum abjectissimi sunt; & qui merfi cupiditate, divitiis suis serviunt. Cùm semel sordes admixtæ, nullum lucrum avaritiam fatiat: quærunt plerique opes, ut curas inveniant; felicitatem, ut inquieti sint. Si rectè calculum ponas, imparem Fortunæ animum habent. Tu profectò supra vulgum erectus, generosum pectus æternis consiliis exerces; & quia vitam vivendo æstimas, corrupti ævi delicias, nugas, & vanissimas ineptias potes contemnere. Mehercle, ut sic loquar sentiamque, sermones tui faciunt; illi nuperi, & tanquam Sapientiæ viribus instructi. Sermones inquam; De officio Hominis, Viri, Civis:

*Quis*

*Quis modus argento, quid fas optare, quid asper  
 Utile nummus habet, Patriæ charisq; propinquis  
 Quantum elargiri deceat.*

Exclamabam protinus Senecæ verbis : Non à summis  
 labris ista venerunt ; habent hæ voces fundamentum. iste homo  
 non est unus è populo ; ad salutem spectat. Sed nunc magis,  
 cum dicta factis comparo ; cum te Hominem, Virum,  
 Civem ostendis, id est, verè magnum. Dignus tu divi-  
 tiis tuis, qui ut ingenium colas, divitiis uteris ; qui fa-  
 stum, fucum, vanitatem nemini invides ; pulchra, ho-  
 nesta, solida sectaris. Melior te Genius agit, mi SCHOL-  
 LIERI ; & animus per experientiam quoque maturus.  
 Tanti erat Galliam, Germaniam, Italiam lustrare, ut  
 Lovanii quiesceres : tanti, Elegantias, Lepóres, Gra-  
 tias omnes tibi familiares reddere , ut felices annos  
 Sophiæ & Themidi committeres. Bene est : te tali  
 fruar. Larem autem ut paratum invenias , vix adhuc  
 efficio, etsi aditor. FERRERIVS jam non migrat.  
 atque laxæ satis illæ ædes & commodæ esse poterant :  
 aliæ, ut nosti, aut ruptæ alibi, aut non omnino vacuæ.  
 Sed à primo statim habitare ex animi sententiâ non  
 potes. Suadeam, transigendum cum matronâ illâ , &  
 conclave unum alterumque cedendum esse. Mutabit  
 fortassis paullo post animum , & cum minimè cense-  
 bis, colligere volet sarcinas & ire. Domum habe tan-  
 tum, & invenies : offerentur occasiones, cum nõ qua-  
 res. COMVM hunc meum, si Diis placet, Belgicum,  
 Sorori tuæ MARIÆ dabis. Legere poterit, quæ ego  
 ludere : sed & indolem illam, sexu altiore, seriâ a-  
 mœnitate imbuet. Pauca ultra feminam feminæ sa-  
 piunt, & ingenio quoque audent vivere : hæc sapit ve-  
 rò, & vivit, & prudentiæ insignem modestiam jun-

git, moribus splendorem, formæ dignitatem. Luxum verò nunc venustiùs & liberiùs detestabitur, si inspiciet. Venustiùs, quæ in publicâ mulierum severitate ridere potuit, ut pulchrior esset ceteris; liberiùs, quæ favere ingenio meo voluit, ut damnaret quicquid audisset reprehendi. Ergo gratiam & salutem addo: et jam conjugî ejus, Illustri Viro & Amico, ANTONIO DE TASSIS, quem felicem censeo tali consorte. Vale, &, ut eodem voto claudam epistolam, quo orsus sum, veni felici fidere. Lovanii, sub ipsum tabellarii discessum.

EPISTOLA C. *Bruxellam.*

MAXIMILIANO PLOVVIERIO,

*Viro Nobili & Amico.*

**O**MNIBVS modis amicitix nostræ nexum stringis: libellos à me capis, ut thesauros recipiam. Tales enim amici sunt, quos concilias, & quibuste interprete placere suavissimum est. Ternæ illæ meæ ad Gratiarum chorum satis etiam frigida, præquam Virtutes tuæ sunt, & Genius ad seriam amœnitatem factus. Quid de affectu dicam, quem non sine igni stricturisq; benevolentix promis? cum ficamas, de ingenio meo judicas. laudas PVTEANVM, quia complecteris: & qui tuus, aliquis esse cœpit. Non desidero multa suffragia: multis placui, quia tibi: & jam inclarui, quia tuo unius judicio contentus sum. Unius sententiã, velut vocem multorum habeo. Sententiam, sed bonam: unius, sed boni. Appositè Seneca: *Si de me bene vir bonus sentit, eodem loco sum, quo si omnes*

nes



*res boni idem sentirent . omnes enim si me cognoverint , idem  
 sentient . par illis idemq<sub>3</sub> iudicium est .* Itaque libellos tibi  
 meos probari , summopere gaudeo : & hac fiducia ,  
 quam conscripsi CONSOLATIONEM CÆCITA-  
 TIS , mitto . Philosophatus sum : sed sacra tamen pro-  
 fanis non miscui , ne in immensum opus excreceret ,  
 & aurea aëreis miscerentur . Ceterum cur limites  
 meos transeam , & deflectam ab Amœnitate ? Musæ  
 me habent ; nec tam severa unquam Minerva , quin  
 rideat . Aliud profectò , hortum rigare ; aliud , poma-  
 rium conferere . ego inter flores verfor aut herbas :  
 miscere arbores non possum , nisi ut onerem tellu-  
 rem meam , atque etiam in umbrem . Pro munere &  
 ingenio sapere fas sit , imò scribere : coloribus Græcæ  
 Latinæque eruditionis uti , sed aurum illud Sacrarum  
 Litterarum suspicere atque venerari . De INDVCIIS ,  
 quid molestus es ? an *σεμνότερόν τι καὶ πολιτικώτερον* expectas ?  
 Audiri maluisses , quam nunc legi : etsi legere etiam  
 cupiant , quicumque audiverunt . Quid igitur ? tuo , &  
 sic omnium desiderio obsequar . Leges Orationem ,  
 ut audivisse quoque videaris : imò leges , ut hîc tu mi-  
 hi quoque instar multorum sis , & publicum suffra-  
 gium formes . PRINCIPII exemplar dare constitui ,  
 sed typis adornandum . ut scriptio placeat , vestiri de-  
 bet . Lumen videmus cornu clausum , velut per nu-  
 bem languere ; vitro septum , intendi radiis & ridere :  
 sic Eloquentiæ vultum Litterarum formæ aut obfu-  
 scât , aut illustrant . Ergo auctoris industriæ opera ty-  
 pographi accedat . quod populi causâ facimus , PRIN-  
 CIPII debemus . Sed heus , FAVSTVS meus adhuc Me-  
 diolani ; & in viâ tessera pecuniariæ hærent . Quæ  
 mora ? periisse SACCVS noster suspicatur : cujus ecce

S litteras

litteras hinc habes. A CORNELIO BREDAM meo  
carmen adjungo. ama hunc juvenem, etsi absentem,  
quem carum ego habeo, & quem ex animi sententiâ  
formasse & direxisse videor. Vale mi Anime, & sua-  
vissimos candidissimosq; Amicos, SALMSLAGIVM,  
& MERLINVM meo nomine complectere. Lovan-  
nii, Postridie Kal. Quinct. ∞. loc. ix.

FINIS.

---

## CLAVSULA

A D

LECTOREM.

**H**ÆC quidem BELLARIA sunt, LECTOR; & poni post  
PROMVLSIDEM & FERCVLA SECUNDA debuerunt.  
*Bene, si pro nomine rem dicas, & pro numero splen-  
dorem.*

Vatibus hic mos est centum sibi postulare voces,  
Centum ora, & linguas optare in carmina centum:  
*tot hic EPISTOLÆ sunt: quot nomina, tot convida. Suavis fui,  
ut Magnus essem. etiam amplius? Liberabis ero, si delicias es-  
stimas. Dare Dapes potero, qui ponere: & ut è ritu omnia prisca  
fiant, mox APOPHORETA mittam. Si quis curiosam esuriam ne-  
scit quidem extinguet, ad RELIQUIAS veniet. Salve, & si tanti  
putas, pauca hæc etiam TESTIMONIA Lege.*

ERYCI

ERYCI PVTEANI  
TESTIMONIA  
PAVCVLA,

*Contubernalibus, Auditoribus, Palestritis  
Bonæ Mentis, denique Amicis*

D A T A.

S 2      INDI-

# INDICVLVS TESTIMONIORVM.

- I. CORNELI BREDÆ, *Contubernalis mei & Auditoris.*
- II. SEPTALI, *Filii.*
- III. FREDERICI MARSELARI, *Palæstricæ Bonæ Mentis, & Auditoris.*
- IV. N. *Auditoris & Discipuli.*
- V. IACOBI ROBERTI, *Contubernalis mei, & Auditoris.*
- VI. IOANNIS HVARTI, *Auditoris.*
- VII. *Amici Lipsiani, & mei.*
- VIII. FERDINANDI A SILVA, *Bracarenfis, Auditoris.*
- IX. N. *Discipuli & Sectatoris.*
- X. IACOBI BORCHLONI, *Auditoris & Amici.*
- XI. IOANNIS LABIENI, *Auditoris.*
- XII. IOANNIS TORRENTI, *Auditoris.*
- XIII. HORATI MEINSMÆ, *Auditoris continui.*

*Augere hunc numerum alii poterant, imò debebant: Optimus Doctissimusq̄ IANVS SCHEPPERVS meus, nunc Governatori Mediolanensi ab Eleemosynis: Reverendus & Eruditus PHILIPPVS WANNEMAKERVS, pariter meus. Item ANDREAS PETRICOVIVS, & IOSTVS MVLDERVS ASCANIVS, Arbitri Palæstræ Bonæ Mentis: denique, quem inter primos amo, NICOLAVS BVRGVNDIVS, familiaris ille Auditor meus toto quadriennio, Musarum & simul Themidis felix alumnus. Sed quid est? Aliis dedi Testimonia, sed exemplaria non servari; aliis debui, neque tamen dedi, quia reversuris.*

ERYCI

ERYCI PVTEANI  
 TESTIMONIA  
 PAVCVLA.

TESTIMONIUM I.

VIRI

*Dignitate & Virtute magni,  
 Doctrinâ clari, Affectu mei:*



PROBITATIS, Eruditionis & Modestix Testimonium legit, & quem commendo, complectimini. Hic meus est, & tanquam Patrem me aut Fratrem habet, CORNELIVS à BREDÀ, origine Belga, & ADEBÆA nomine in Como sive Phagesipofus mihi celebratus.

Stirpem & sanguinem si quis censeat, Nobilis est; sed indolem animumque ad omnem humanitatem & elegantiam direxit, meliorum Litterarum studio atque Historiarum insigniter excultus. Raræ ingenii dotes velo modestix adumbrantur. Ætas tenera adhuc (quatuor vix lustrorum) & puro pudore se commendat. Reliqua quæ latent, ætatem vicerunt; amanda & æstimanda, si propius aut familiarius noscantur. Mores verò iudiciumque Virum indicant, aptum aliena & longinqua lustrare, observare, usurpare.

S 3

Ab

Ab umbrâ igitur ad lucem se transfert, visurus, imò collaturus cum experiētīâ rerum, quæ audivit, aut legit: vos visurus quoque & culturus, qui dignitate, virtute, doctrinâ, & affectu in bonos eminentis. Me auctore se transfert, & itineris omnem fructum meis consiliis hîc metietur. Vos Magni, vos Clari, vos Mei, vultu & animo benigno hunc juvenem excipite, dirigite, prosequimini; quicquid feceritis, cum fœnore à me relaturi. Ipse dignum se amore & benevolentīâ vestrâ (ita spondeo) præstabit. ego verò accepisse beneficium videbor, ac rependam. Tanquam ipse veniam, hunc mitto; &, ut in causâ meâ verecundior sum: ita hîc encomii libertatem pudor retardat. Itaque breviter vos rogo, ut qui bene mihi vultis, huic ostendatis. Nam è meâ Disciplinâ, Contubernio & sinu abit, ut vestro auctus amore benevolentiaque eodem revertatur. Deus faciat; vos autem, qui bona ingenia amatis ac fovetis, lætissima felicitatis copia beet. Lovanii, xv. Kal. Septembris. ∞. Ioc. VIII.

## TESTIMONIUM II.

### VIRI,

*Seu Bello seu Pace Clari, Viri Amici, & Populares.*

**N**E, ut apud Menelaû Telemachus: ita apud vos claros, filius Viri clari incognitus sit, prohibere scriptione istâ volui. **LVDOVICVM SEPTALIVM**, Patricium & Medicum Mediolanensem novistis? illum Doctrinæ & Virtutis mystâ? novistis:

*Κείνου μὲν ἦν ὁδ' ἑὶός ἐτήτυμον.*

Filius inquam illius hic est: etsi ad Martis potiùs studia,

dia, quàm Minervæ natus. Sed in hoc laudabitis Patris Genium, Filii animum; quòd Vir doctus Martialem produxerit filium, & filius priscam majorum suorū gloriam armis partam, armis voluerit æmulari. Vos si honestum militis nomen amatis, huic favete; si doctrinam præfertis, tamen favete, Patris causâ. Mediolani, xvii. Kal. Julii, ∞. lxxiii.

## TESTIMONIUM III.

## VIRI

*Apud Belgas, Exterosq̄ omnes in Aulâ, in Curiâ Magni.*

**P**RODUCERE, & publico favori commendare audeo, quos amor Bonæ Mentis exercuit, dignosque luce & affectu bonorum cœpit facere. Inter primos hic jam prodit, & acceptam etiam facem gestat, FREDERICVS MARSELARIUS, Antuerpiensis, Patricio inter suos genere, indole præclarâ, candore Belgico, moribus suavissimis; qui cùm nomen & insignia gentis possit, expressa à Majoribus & optimo Parente probitatis, doctrinæ, virtutis exempla mavult usurpare. Ut agnatam laudem elegantiam; vultum ostendo: talis etiam in pectore pulchritudo latet. Naturâ bonus facilem animi ingeniique cultum admisit, me Doctore & Directore usus: & quia PRINCIPEM PATRIAMQUE cogitavit, Astrææ studiis ornamenta Litterarum junxit. Sic quantum reliquas scientias artesque studia humanitatis juvent atque expoliant, publicè hinc ostendit. Suavi ac prompto eloquio peritiam juris simulque industriam suam testatus est, & solennem Iurisconsulti titulum egregiè promeruit.

Sed in PALAESTRA BONAE MENTIS sic se gessit, ut emi-  
 nuerit; sic se exercuit, ut Illustrissimo FRANCISCO VA-  
 CA BENAVIDIO, Militiæ Statuſq; Belgici summo Cen-  
 ſori placuerit; cujus in Lare sic jam verſatur, ut cum  
 Filii præſit ſtudiis, filii ipſe loco habeatur. Dubites  
 plus optimi Viri humanitati, an doctiſſimi juvenis  
 obſequio tribuas. Votû ego addo, ut qui affectu tanti  
 Patroni dignum ſe præſtitit, ab omnibus æſtinetur;  
 & qui in PALAESTRA nomen conſecutus eſt, cum Pa-  
 triæ bono, & ſplendore PRINCPIS, in Republicâ quan-  
 doque verſetur. iis quippe inſtructus eſt artibus, quæ  
 virum faciunt: & iis exornatus honoribus, quos viris  
 Academia confert. Ætatem excipe; omnia in juvene  
 iſto matura ſunt, & uberrimos rerum pulcherrima-  
 rum fructus promittunt. Lovanii. v. Kalend. April.  
 ∞. lxx. xi.

## TESTIMONIUM IV.

### VIRI

*Nobiles, Clari, Reverendi:*

**Q**UOD homo homini debet, Auditori & Disci-  
 pulo dare fas jubet. Debet autē conſilia & auxi-  
 lia, ſi occaſio urgeat: & utraq; iſta hic meus à  
 me petit, ut à vobis accipiat; imò petit, ut fateatur,  
 extra Patriæ limites humanitatem quoq; eſſe. Juve-  
 nis honeſtus eſt, parētibus & origine apud nos bonâ:  
 ſic educatus & inſtitutus, ut quæ petit cōſilia, & auxi-  
 lia mereatur. Cupido videndi & diſcendi in Italiam  
 trahit, & ipſa hæc bona: juvanda igitur, ad optatum  
 ut itineris fructum perducatur. Facite: hominem cogi-  
 tate,



gitate, quem commendo, Auditorem & Discipulum,  
cui faveo. Lovanii IV. Kal. April. ∞. 130. x.

## TESTIMONIUM V.

## VIRI

*Genere, Nomine, Dignitate magni,  
& Quicumque hæc legetis.*

**N**ihil libentiùs facio, quàm producere & laudare quos amo; nihil faciliùs, quàm amare qui merentur. Sed cùm libentem & facilem plures me experti; hic sanè quem videtis, peculiariter facit. IACOBVS ROBERTIVS est, egregiæ indolis & animi, ingeniiq̃ue juvenis, magnorum favore, benevolentia omnium dignus. Patrem habet REMACLVM ROBERTIVM; Virum, si domum gentemq̃ue spectem, clarum; si gradum dignitatis, Annonæ militaris in Belgio summum Præfectum, PRINCIPIBVS nostris carum, omnibus venerabilè: Virum, in quo fides, candor, probitas, virtus, & quicquid laudari potest, habitat: Virum deniq;, de quo nemo umquã conquestus, nisi qui aut malus esset, aut in REGEM, RELIGIONEMq̃ue malè affectus. Sed intrà has laudes vir præstâtissimus industriam non coërcuit; quasi non satis etiam bonus utilisq̃ue publicè, nisi exemplo quoque suo filios haberet. Hunc igitur natu maximum, liberaliter domi educatum, cùm primùm per ætatem licuit, Scholis Præceptoribusq̃ue Societatis IESV erudendum commisit, ut litteras & simul pietatem disceret, virtutum omnium artiumq̃ue posito fundamento, Religione. Nec patris vota filius elusit; indole vsus

T

est,

est, atq; profecit. Postquã verò in domum meã & disciplinam venit, stilo, historiis, & prudentiã operam impendit, BONAM quoque MENTEM coluit, sic se gefit, ut amari meruerit. Nunc in Hispaniam Parentum iussu abeuntem affectu simul calamoque prosequor, & seriò eum vobis commendo, qui Genere, Nomine, Dignitate eminentis; vobis etiam, quicumque legitis. Patris, meã, ipsius causã ut Iuveni huic faveatis, rogo. Pater, ego, ipse pariter agnoscemus. Ille filium, ego discipulum & contubernalem, ipse quãtum prãstare vmquam poterit, debet. Iterum favete, & jam perstrictum virtutis famãque vestrã radiis, benignã & familiari benevolentie aurã ad optima animate, & complectimini. Sic vobis liberisq; vestris aut votis Deus propitius sit, & perennitatem donet. Lovanii, x. Kal. Sextil. ∞. Ioc. XI.

## TESTIMONIUM VI.

### VIRI

*Doctrinã, Virtute, Famã præstantes, & quicumque hoc legetis.*

**Q**UOD mos & affectus meus suadet, facio, & hunc juvenem, I. HVARTIVM, sed merentem commendo. In Academiã hac nostrã egit, etiam in Palãstrã BONAE MENTIS se exercuit. Indole bonus, moribus honestus, ingenio facilis & amœnus, dignum se Virtutis & Eruditionis contubernio præstitit: meum certè amorem insigniter provocavit. Quem familiarem habui, abire nolim: quem pater advocat, manere nolim. Ut maximè amem, id quod pater,

ter, cupio, & abeunti affectus constantiam addico.  
 Vos favete, quicumque hoc legistis, & tanti iudicium  
 meum facite, ut amorem exprimatis. Lovanii  
 ∞. ICC. XI.

## TESTIMONIUM VII.

VIRI

*In Ecclesiâ & Republicâ Magni, Litteris &  
 Ingeniis Amici,*

**P**RAEMIUM cui Pietas, Doctrina, Elegantia de-  
 stinarunt, Testimonium hoc scribo, amico olim  
 LIPSI, nunc meo. Belga est, ac primùm Pietate  
 conspicuus, quam à primis annis coluit, deinceps in  
 cœtu Augustinianorum, cui mancipatus est, auxit.  
 Pietatem Doctrinâ ornavit, & nomen inter suos ad-  
 eptus est, & inter reliquos Belgas. Iuventutem ex Or-  
 dinis instituto docuit, multorum ingenia formavit,  
 ad spem & frugem duxit. Doctrinam denique ele-  
 gantiâ expolivit, amœnitate miscuit velut pulcherri-  
 mo colore. Hunc talem amate, promovete, surgentem  
 ad magna. Sed magnorum favore opus, auxilio quo-  
 que, ut fulcrum bona vota inveniant, & excrescant.  
 Iterum igitur rogo: Amate, promovete. Ex ejusmodi  
 surculis Arbores expectandæ, & Fructus deinde, qui  
 in Rempublicam & Ecclesiam se spargant. Vos nunc  
 in surculum Benevolentia vestra rorem, LIPSI  
 quondam & nunc meâ causâ. Scripsi Lovanii VII.  
 Kal. Octob. ∞. ICC. VII.

T 2

TE-

## TESTIMONIUM VIII.

VIRI

*Docti, Probi, Clari, & qui sub nostro aut alio Sole caletis.*

**S**INE fūco ac fallaciis Testimonium hoc conscribo, & ex Academiâ Grudiorum, meâque Disciplinâ prodeuntem vobis commendo GONSALVUM FERDINANDVM A SILVA BRACARENSEM; imò ad suos cum studiorum fructu redeuntem. Cum fructu, quem uberem toto isto biennio collegit, feliciter Musis, feliciter Iurisprudentiæ operatus. Probitatem, Modestiam, Doctrinam, velut Gratias coluit: & his facilem haud dubiè apud suos amorem & favorem inveniet, apud externos adeptus. Addetis beneficia, vos ô Magni, & maturam indolem porrò promotebitis, dignam, cui benigno vultu Fortuna arrideat. ut arrideat, votum meum est: hoc quoque, ut, quod dixi, sine fūco ac fallaciis Testimonium istud censeatis. Sic valete, vestris quoq; votis favètem habete Deum, si huic quem sisto faveritis; imò habete, uti faveatis. Lovanii, III. Eid. April. ∞. 100. IX.

## TESTIMONIUM IX.

VIRI

*Apud Insubres mihi Clari & Magni.*

**S**INE Testimonio meo proficisci hic non debuit. SE meis est, quos publicè doceo: & sic repente Discipulos feci, imò Sectatores, qui PVTEANI aliquam vobis imaginem reddant. Sed hunc ab ingenio & cru-

& eruditione laudo, adhuc adolescentem: reliqua ætas paullatim dabit, & vester, O clari & Magni, quoniti debet, favor. Quia domi vincere Fortunæ umbram non potest, infaustum nunc mutat Larem; & in Italiam anhelat, ut extra nubem positus, melioribus astris spes suas committat. Mediocre conditionem, honestam putabit. Pædagogum paratus est agere; ordini à minimis, ut assurgat. Qui Liberos habetis, qui Litteras amatis, pandite limina: hic pro ingenio & eruditione diligens erit, & sic bonus. Ut breviter dicam, Belga est; & communi hac origine placebit: à me venit; improbus erit, nisi placeat. Lovanii, vi. Kal. Augusti. ∞. 100. VI.

## TESTIMONIUM X.

## VIRI

*Boni, Docti, Magni, & qui præclari ingenii doctores æstimatis.*

**L**V BENS & meâ sponte egregium hunc vobis juvenem commendo; IACOBVM BORCHLONIUM, quem vultus ipse indicabit talem esse, qualem scribo; Bonum, Doctum, & Bonorum Doctorumque amore dignum. Verum testimonium in oculis relucet: & hæc felicissima bonæ indolis conditio est. Latere non potest. Modestiam, Probitatem, Elegantiam, imò & Doctrinam ipse prodit: ego scriptione tantum confirmo. Ergo optimam certissimamque istarum dotium imaginem dabit, qui possidet: adumbrabit tantum, qui describit. Sic facilius virtutem Natura ipsa, quam ars & stili omnis conatus repræsentat.

Quæ externa igitur sunt, nec ostēdi possunt, nisi dicātur, dico: Belgā esse, honestæ familiæ & educationis: ex Auditoribus meis esse & Amicis. Studiorū summā Medicinam habuit, & insignes in eâ progressus fecit. ut pergat etiam, & perfectam peritiam hauriat, hæc ei peregrinatio instituitur. Favete, bene facite. Bonorum magnorūque auxiliis recta ingenia firmanda sunt, ut adolescant. Lovanii xv. Kal. Sept. ∞. 100. VIII.

## TESTIMONIUM XI.

## VIRI

*Amici, & olim mihi Familiares.*

**I**N Italiam abeuntes dirigere bono voto & affectu soleo, ut cum fructu mores virosque videant, illos in exemplum Virtutis Doctrinæ & Humanitatis natos. Voto & affectui interpretes litteræ jure accedunt; & commendare audeo, quos bonæ Mentis amor ad peregrinandum impellit. Hic quem videtis, talis est, IOANNES LABIENSIS, probis honestisque parentibus Namurci natus, in Litteris Artibusque melioribus, quibus gnavam dedit operam, enutritus; etiam Philosophiæ & Jurisprudentiæ in Academiâ hîc nostrâ Lovaniensi operatus; Modestiæ & Probitatis alumnus. Ut breviter absolvam; Fautores & Amicos meretur; quos ut inveniat, haud difficile reor, si innotuerit: & innotescet, si hac tessera meâ sive testimonio usus, in conspectum & affatum virorum Amicorum & olim mihi familiarium venerit. Hoc scio, ingenium se probabit. Ergo ut Fautores & Amici sitis rogo; & par à me officium in occasione expectetis. Lovanii, iv. Kal. Februarii, ∞. 100. X.

TESTI-

## TESTIMONIUM XII.

VIRI,

*Qui bonis Ingeniis Artibusq; favetis.*

**T**ESTIMONIUM hoc meritò à me capit IOANNES TORRENTIVS: quippe à Doctore Auditor. Testimonium Indultriæ, Modestix, & addo, Doctrinæ. Pro nomine & sanguine Probus est, & bonorum favorem auxiliùmque meretur. Facite qui potestis: ego ex parte beneficium agnoscam, quod in Auditorem meum conferetur. Lovanii XVII. Kal. Octob. M. DC. VIII.

## TESTIMONIUM XIII.

VIRI

*Magni & Amici, Noti Ignotiq;:*

**O**MNES alloquor, & hunc vobis juvenem commendo, HORATIVM MEINSMAM FRISIVM, egregiè natum, & institutum, bonisq; artibus sedulò excultum, & Auditorem meum continuum. Desiderium ardorq; discendi & videndi peregrinatione suasit: abeuntem nisi affectu & elogio prosequar, à consuetudine & simul naturâ meâ recedam. Quos doceo publicè & erudio, amare soleo; & ut videar, quantum ipsi meretur, promovere. Hic meretur, sive indolem & mores, sive industriam & eruditionem spectem. Neq; aliud impetrare his omnibus conatur, quàm ut placere possit, quibus Virtus, Doctrina, & Elegantia placent; ut Magnis amicus esse incipiat, Exteris notus. Favete Magni, favete Exteri: Vester hic erit, etsi ignotus: & Magnus quandoque, quem Amor Virtutis ad ardua concitat. Quicquid facietis, repen-

det ipse, si Bonus erit: & erit, ita feliciter hoc iter suscipiat, fautores inveniatur, & volentem pulcherrimis conatibus Fortunam. Voveo, & operam meam vicissim obstringo, si quis Ignotus, si quis Exterus ad me venturus. Bona & præstantia ingenia ubique promovenda sunt, & in quibus nobilioris naturæ scintillæ relucunt. Lovanii, v. Kal. Novemb. ∞. 1606. XI.

FINIS.

### C A V T I V N C V L A.

**N**E *Lectionis fortassis mora sit, pauca hæc notare libuit. Pag. 21. lin. 16. scribe, divitis. 101. 7. natura. Ibid. 8. alternis. 119. 19. fovere. Siquid fortassis minutius, non te impedire Lector poterit. Etiam in pulchrâ facie n. vus heret.*

### C E N S V R A.

**H**As Clarissimi Viri ERYCI PVTEANI Epistolæ, dictione & eruditione præstantes, prælo dignas esse censeo.

GVILIELMVS FABRICIVS No-  
viomagus, Apostolicus & Ar-  
chiducalis librorum Censor.

Cum Privilegio Serenissimorum Belgicæ  
PRINCIPVM.

*Signat.*

*J. Fourdin.*